
82 2


CONTROVERSIA DE BONORVM OPERVM ET SACRAMENTORVM NECESSITATE, ADVERSVS NOSTRÆ Tempestatis Hæreticos duabus Orationibus comprehensa.



AVTHORE

GEORGIO GOTHARDO SS. THEOLOGIÆ AC PHILOSOPHIÆ Doctore & Canonico Patauiense.

Accesserunt aliæ Scholasticæ exercitationes.



INGOLSTADII


Excudebat DAVID SARTORIVS.

ANNO M. D. LXXVII.

Ad clarissimo uiro dno Francisco paez ss theologiae doctori et collegij Romani professori celeberrimo dno ac praeceptori suo obs.mo author ddt

ILLVSTRISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO ALBERTO, COMITI Palatino Rheni, vtriusque Bauariæ Duci &c.

DOMINO SVO CLEMENTISS. GEORGIVS Gothardus Fælicitatem.



QVOTIESCVNQVE inueteratas horũ infœlicissimorũ temporum calamitates, hæresesq; per orbem longè lateq; fusas mecũ perpendo (ALBERTE Dux Serenissime) partim doleo, partim etiã occulta ac abstrusa diuina iudicia admiror. Doleo enim vehementer immutatam Germaniæ faciem ac florẽtissimum quondam Germanicum imperium tàm miserè dilaceratum, labefactatũ, ac penè conuulsum; doleo sempiternũ infinitarum animarum interitũ. Quid autem admiratione videtur dignius, quàm vnũ

perditum profligatúmque monachum nec pelle ouina satis artificiosè tectum, nec doctrina excellēti perpolitum tantam potuisse, tamq; fœdam ac perniciosam labem in vniuersum orbē Christianum inuehere? Quòd si quis singulari eruditione præditus, ac insignē pietatis ac virtutis imaginē præ se ferens tantum incēdium excitâsset (quales Arrius, Manichæus, Nestorius, & alij quamplures veteres hęresiarchę fuêre) nō esset, quòd tantoperè admiraremur; nūc verò cùm impudētissimus, impurissimus, audacissimus quidam perfuga, ac auitæ religionis desertor & proditor ardentes faces Reip. Christianæ iniecerit, illius sententiæ subscriptum esse summam habet admirationē. Se à Deo missum prædicauit Lutherus, ei ne credi par fuit? Prospexit iam longè antè pręsentem tempestatem ac fluctus, quib. Respub. Christiana iam percellitur & concutitur D. Paulus; prospexit ac præcognouit nō defuturos, qui non missi cursuri essent. Vnde, ne à veteri religione diuelli nos pateremur, néue

nouæ doctrinæ aures præberemus præmonitos nos volẽs, nec Angelo quidem nouum Euangeliũ afferenti fidẽ accommodandã eſſe docuit. Nouum Euangelium attulit Lutherus; quibus miraculis, vt de eius veritate nõ dubitaremus illud confirmauit? quæ prodigia pro doctrinæ ſuę confirmatione edidit? Tentauit quidem aliquando præclarus hic quintus Euangeliſta fœminam à demone grauiter afflictam excruciatamq; liberare ac demonẽ ab obſeſſa profligare; ſed quantũ effecerit, & quo periculo munus illud ſuſceperit, graues ſcriptores memoriæ prodiderũt: niſi enim tum temporis vir Clariſſimus Fridericus Staphylus operã ſuã Luthero egregiè nauâſſet, ac oſtium perfregiſſet, miſerè dilaceratus ac in mille partes diſſectus dubiò procul fuiſſet. Magno certè Reip. Chriſtianæ cõmodo nefarios ipſius conatus clementiſſimus Deus deluſit, vt perennem multarũ animarum perniciem auerteret. Prætereo, quem ſucceſſum etiam habuerit inſtructum Caluini miraculum, quod vulgò

fertur. Potuissent sanè ex his facilè cognoscere homines quo spiritu agitarentur, & quàm boni viri essent Nouatores isti; quòd non Dei gloriam & honorem quærerẽt, sed honores & opes ambirent, ac perpetuum omniũ nostrûm exitium sitirẽt. Auget etiã admirationem meam vehementiùs, nostrorũ dogmatistarum, qui se Euangelicos iactant, incredibilis arrogantia, impudens vanitas, lubrica in maximis rebus incõstantia, dogmatum pudenda absurditas; vt satìs admirari nõ queã mortales tam crassos errores fraudesq; non deprehendisse: gloriantur aduersarij se Euangeliũ in tenebras detrusum in lucem reuocasse. An non hæc est insolentia intollerabilis, & mendacium impudentissimum? Quid enim hoc est aliud dicere, quàm Ecclesiã periisse, succubuisse, & à demonis insidiis superatã? siccine Lutherani? An nõ hoc est humanæ libertatis vindici Christo, qui se semper Ecclesiæ adfuturũ, ac eam nunquam deserturũ benignissimè promisit, repugnare? Tu es Petrus, inquit, & super hanc

petram

petram ædificabo Ecclesiā meā, nec portę quidē inferorū præualebunt aduersùs eā. Magna est vis, magna dignitas horū verborum, nō leue, quid nō exiguū? non humile & abiectum spondet humani generis salutis Autor suæ Ecclesiæ, sed magnum, arduū ac stupendū. Atq; hoc non immeritò. Nā cùm Synagoga ita fuerit stabilita & confirmata, vt in errores labi nō potuerit, cur Christus Ecclesiā suam, quā flumine sanguinis erexit ab erroribus, nō conseruaret? nō sàtis certè humano generi prospectū fuisset, plusq; detrimenti primorū parentum crimen quàm Christi acerbissima mors nobis attulisset, si Ecclesia, cui nos in omnib. obedire Christus præcepit in fide & morib. errare ac seducere nos posset. Cū igitur ante Lutherū vera Ecclesia fuerit verbū Dei syncerum ac Germanū in ea fuisse certū est. Eam enim omnes intelligunt veram Ecclesiam in qua legitimū Dei verbum, & Sacramenta habentur. Tanta autem fuit in Luthero arrogantia quantam in nullo Hæreticorum legi vnquam, non

enim solùm sanctissimos vetustissimosq; Patres, quos ob pręclara in Remp. Christianam merita, ob prostratos ac euersos antiquos errores omnis ętas coluit, fusq; deq; habuit, atq; magnis contumeliis affecit, sed etiã totius orbis, atq; omnium Nationum conspirantẽ cõsensum indignissimè repudiauit, reiecit, cõtempsit. Solus enim Magister in toto Orbe ac omnium Iudex & cẽsor haberi; solus alios docere, à nullo doceri voluit. Vnde sibi tantã authoritatẽ vendicauit Lutherus? quia Propheta & à Deo inspiratus fuit, respõdebit Lutheranus. O pręclarũ Prophetã. Túmne diuino spiritu tanquam sessore agitatus fuit Lutherus, cùm Imperatorem, Reges, Principes ac omnes ordines grauissimis conuitiis est insectatus? Cùm summos Reipub. Proceres ac Monarchas moriões, stultos appellauit? Cùm eos contemnendos ac nullam iis obedientiam præstandam docuit? Cùm classicũ deniq; ad arma contra Principes sumenda eosq; delendos cecinit? Quis prophetarum egit sic vnquam? non sic

veteres

veteres vates,non D. Ioan. Baptiſta,non humani generis conſeruator,non Apoſtoli multorum miraculorum gloriâ illuſtres ac ſapientiſſimi religionis Chriſtianæ propagatores ſic egerũt: ſed ſummos Magiſtratus colendos, & in honore habẽdos docuêre. Obedire nos ꝑpoſitis etiã diſcolis hortatur D. Paulus: Cæſari quæ Cæſaris ſunt reddẽda Chriſtus præcepit,quàm belle hæc cũ Lutheri Euangelio conueniunt? Hinc nõ eſt mirum, ſi tot mala ex hac falſa doctrina ſenſerimus ac expertifuerimus. Quid aũt mali his difficilimis temporibus nõ vidimus? Dolemus cruore humano maduiſſe Germaniam, Luthero culpa aſcribenda eſt; dolemus multa millia ruſticorum cæſa; cauſa tãtę cædis fuit Lutherus: dolemus bello ciuili arſiſſe Germaniã; faces iniecit Lutherus: dolemus deniq; templa ac monaſteria paſſim euerſa; euertit Lutherus. Sed vt in dicẽdo progrediar: Túmne Prophetam egit Lutherus, cũ Deum homines ad malum impellere,ac omnia neceſſariò euenire docuit? Nõ igitur nos

ſumus q̃ peccamus ſed Deus, à quo coacti ad omnia impellimur, vnde in ipſum, tanquam in autorem, omnia mala referenda erunt. Sed quis hæc audiendo nõ perhorreſcat? An non hoc eſt religionẽ Chriſtianã extirpare, è medio tollere & Atheiſmũ introducere? Si enim omnia non liberè ſed neceſſariò & impulſi facimus, nulla igitur p̃mia bonis, nec pœnæ malis: ſi nullum præmium bonis? fruſtrà igitur ſperamus æuum ſempiternum; ſi nullæ pœnæ malis conſtitutæ ſunt? nec ſupplicij locus nec infernalis aliquis tortor? atq; ita dicere quis cum Epicuro poterit: ede bibe lude poſt mortẽ nulla voluptas? Quid ita? quoniam animus cum corpore interit. Hũc in ſcopum Lutherani collimârunt clã multi, aliqui palàm eum attigerunt. Nam fertur hoc noſtro tempore (quod maxime deplorandum eſt) non deeſſe qui dicant diuina prouidentiâ hunc mundum nõ gubernari, nõ extare aliquam mentem, quæ huic orbi prȩſit ac hominum curã habeat, nullam eſſe fidẽ noſtram, oẽs opiniones de Deo,

de cultu diuino, de bonis malisq; operibus, deniq; de salute hominum esse aniles fabulas, hāc vnicam legem ratam esse firmamq; præ omnibus hominē penitus extingui, nec sensum eius vllū post mortē relinqui. Omitto reliquos de Christi humanitate & diuinitate errores; taceo infinita alia absurdissima dogmata ac pl' quàm puerilem leuitatem & inconstantiam, vt planè existimem nos longè dēsioribus velari, quàm Ægyptij sunt olim immersi, tenebris, quòd fraudes illas, & errorū scopulos in quos nos turbulēti ac seditiosi quidam homines impellunt nō conspiciamus: sed hæc alto Dei consilio & iusto iudicio relinquenda sunt. Cùm itaq; Princeps Illustris. multos annos in Philosophia & Theologia Romæ consumpsissem ac discrepantes distractasq; opiniones non sine sempiterno multarū animarū exitio ac iactura cōsiderâssem, nihil me vtilius ac fructuosi' facere posse cogitaui, quā si cū pro singularibus sedis Romanæ in me meritis, tū ꝓ incredibili veteris religionis cōseruandæ, tuendę &

augendæ

augendæ ſtudio atq; deſiderio breuiter aliquid ſcriberem, quò ſeductum populum iuuarem ac cōceſſum à Deo ingenij donū (quod ſane eſt exiguū) in vtilitatē Patriæ conuertetē. Quod quidem onus ſuſcipere etſi mihi difficile videbatur; tamē virium mearum periculum facere volēs eam materiam ſum aggreſſus, quâ totius vitæ Chriſtianæ fundamentum & ſalus continetur; nimirū vitam æternam nō fide ſolùm, ſed Sacramentorū vſu, & virtutum actionibus comparari; vt Epicurȩam illam Lutheranorū opinionem, qui fidem ſolam ad ſalutem ſufficere docuêre confutarē. Quam lucubrationem ſub T. Illuſt. Celſ. nomine in lucem exire, ac tibi dedicare volui, qui in propugnanda auita Maiorū noſtrorū religione & falſis dogmatib. propulſandis principatū tenes. Etenim dicā hoc, cȩterorum pace, ſi vllus eſt Princeps in Germania qui ob labores, & ſtudium in retinēda & cōſeruanda priſtina fide laudem mereatur, Tu ſanè immortali gloria digniſſimus es, qui, vt antiquam religionē integram

gram inuiolatamq; cõſeruares, nulli labori ac vigiliæ pepercisti. Tu cùm longè latéq; ſerpſiſſet Lutherana contagio ac nõ paruam Germaniæ partẽ occupâſſet Bauariáq; à factioſis quibuſdam hominibus in Eccleſiaſticas dignitates & opes inhiãtibus tẽtata eſſet, omni ſtudio, curâ ac induſtriâ incubuiſti, vt peſtilẽtes hos homines lõge à ditione tua propelleres, ne quid detrimenti ampliſſima tua Prouincia, ad cui' Te gubernacula Deus vocauit caperet; néue rerũ aliqua mutatio ac ſeditio oriretur. Fefellerunt vigilias tuas Pſeudo‿pphetę, ſeducti ſunt aliquot Bauari & ad impietatẽ traducti, huic malo tẽpeſtiuè occurrendũ ratus (incredibili enim mentis altitudine præditus nõ ignorabas modicũ fermẽtum integram ſæpe maſſam corrumpere; ac vnã ouem cõtagioſam totum gregem inficere) generalem quandam inquiſitionẽ, vt Prouinciã tuã purgares doctiſſimis Viris ad tantũ opus adhitis inſtituiſti, tanta ſeueritate, vt eos oẽs qui de religione malè ſentirent, aut animum mutare, & ad Eccleſiæ

clesiæ Romanæ authoritatem redire aut aras & focos relinquere cōpelleres. Quæ res ab omnibus laudata à multis frustrà tentata adeo fœlicem successum DEO Opt. Max. singulari aurâ ac fauore conatus tuos prosequēte habuit, vt exigui tēporis spacio Bauaria omni malo ac veneno liberata & exhausta fuerit. Qua quidem ex re tantam gloriam cōsecutus es, vt non solùm in Germania sis notus, sed exteræ quoq; Nationes honorificētissimè de te loquantur; Hispani, Itali, Galli pleno te ore celebrēt, ac acerrimum Te religionis Christianæ propugnatorem vbiq; p̄dicent. Quid hîc restitutā multis in locis antiq̃ religionem, quid pericula & graues inimicitias ob religionis negotiū susceptas, quid sumptus quos in alendis viris doctrinâ prȩstantibus facis quā maximos commemorē? hoc verè dicere ausim, nisi tua incredibilis ac planè diuina virtus extitisset, Rempub. nullam haberemus, nullus iam in Germania veteri religioni esset locus. Ecclesiarū bona direpta, Episcopat⁹ occupati, monasteria,

& Abbatię expilatę iampridẽ fuissent, vt planè mihi persuadeã te diuinitùs nobis & vniuersæ Germaniæ natum. Vnde nõ immeritò Catholici Principis nomẽ tibi à summis Põtificibus tributũ fuit, quem honoris Titulum te adeptũ honorificũ inprimis & ad immortalitatem gloriosum ducere debes. Quid.n. esse potest præclarius ac magnificẽtius, quàm ab iis ornari, qui in Reip. Christianæ specula à Christo constituti sunt. Multũ certè tibi debemus Princeps Ill. qui T. Ill. Celsitudis ditioni subiecti sumus, vniuersa etiã Germania te nõ secus ac Patrem patriæ colere & venerari debet. Non est hic locus sapientiam tuã prædicandi quæ tãta est, vt omniũ in Te oculi conuertãtur, vt nõ solùm Te potẽtissimus Saxoniæ dux Augustus, Princeps celeberrim⁹, in quo præter Catholicã fidem nihil quisquam desideret, sed cęteri etiã Germanię Principes diuersis sectis addicti Te admirentur, ament, ac in oculis ferant. Tanta est vis virtutis, vt inimicos ad sui amorẽ trahat ac distractos etiã animos conciliet.

Quòd

Quòd si eæ Resp. quę à sapientib. gubernantur, beatæ sunt (vt magnus ille Plato docuit) fœlix ac iterũ iterumq; beata est Bauaria, q̃ sub Te Principe beatissimè cõquiescit. Hac igitur causâ cõmotus hoc scriptũ Ill. C. T. nuncupandũ cẽsui. Huc accedũt paratissima semper M. Vvolphgangi Gothardi Profess. Ingolstadiensis patris, & D. Ioannis Gothardi Cãcellarij Passauiẽsis fratris mei piæ memoriæ, Ill. domui Bauaricæ obsequia, quorũ ille 25. annis & ampliùs politiores literas Ingolstadij magna cũ laude professus est: Hic Monachij aliquandiu non sine omnium admiratione in foro perorauit, ac causas forenses tractauit. Horũ igitur instituto & vestigiis insistens totum me T. Ill. C. omniaq; mea studia addicere & in patrocinium humilimè dedere volui. Accipe igitur beneuolo animo, Princeps Ill. hãc meã exiguã & impolitam lucubrationẽ ac primos ingenij mei fœtus, qui boniq; cõsule, quos si T. Ill. C. probari sensero, efficiar ad maiora alacrior. Pataui, prid. Cal. Maij. 1577.

DISPVTATIONIS ADVERSVS NOSTRÆ TEMPESTATIS HÆRETICOS DE BONORVM OPERVM & Sacramentorum necessitate, Pars prima.

CVM communem Reipublicæ Christianæ statū, ac præsertim Patriæ nostræ miserabilem ac deploratam conditionem, infœlicissimaq; tempora, in quæ fato nescio quo incidimus, siue potiùs diuinitùs reseruati sumus paulò altiùs mecū perpēdo (patres Reuerendi cæteriq; Audit. ornatissimi)doleo vehementer, atque grauiter molesteq; fero, paucorum furore atque scelere, eô rem deuenisse deductamq; esse, vt ab interitu excidioq; abesse longiùs non videatur. Quis enim vestrûm ignorat, quos tumultus præclari illi, si Dijs placet, augustissimorum oraculorum interpretes diuinique verbi præcones, quos, inquam, tumultus commouerint, quæ incendia toto terrarū orbe excitârint, quas procellas, atque tempestates, quibus Rei-

publicę christianæ nauim tāq; turbînibus aut fulminibus perculsā opprimant, atq; euertant, concitârint? Atq; eò doleo vehementiùs, quòd hisce calamitosissimis atque funestissimis tēporibus, pro ijs nobis sit depugnandum atque decertādum, quæ inuictissimi illi, ac sapientissimi religionis nostræ duces, atque autores certa ac firma fide tenenda posteritati tradiderunt. Quę Maiores nostri, viri singulari sapiētia, atque inredibili mentis altitudine prędití, constantissimè ac religiosissimè retinuerunt, nobisq; pari studio colēda ac obseruanda reliquerunt. Doleo, inquam, quòd iniquissima conditione ea nunc probare cogamur, de quibus disputare, ne dicam, dubitare, pudere nos deberet. Ea enim est ingruentium hostium vis, atque audacia, vt non solùm veræ auitæque Maiorum nostrorum religioni multa falsa de nouo affingere audeant, verū etiam nos omnes de antiquissima plurimarum veritatum sede ac possessione deijcere, depellere, atque deturbare summa ope ac viribus conētur. Quamobrem iusto dolore cōmotus, minimè ab instituto nostro alienum, neque vobis ingratum fore existimaui, si perutilem

lē aliquam,atque hac turbulētiſsima tempeſtate vehementer neceſſariam controuerſiam diſputationemq́ue paulò vberiùs atque copioſiùs pertractandam ſuſciperē, atque quorundam ſceleratiſsimorum hominum impias fraudes, quibus imperitæ multitudini imponunt, detegerem, ipſorumq; deteſtandum errorem ſub aſpectum intuitumq́ue veſtrum ſubijcerem. Sic enim fiet, vt quid in reliquis de ipſis ſentiendum ſit, facilè intelligatis, et vos rei indignitate et patriæ clade excitati incredibili patriam iuuādi ſtudio exardeatis. Suſcœpi itaque eam veritatem defendendam in qua aſſeritur, Fidem à diuino amore ſeiunctam atque ſeuulſam parùm aut nihil ad ſalutem prodeſſe, quantùm breuiſsimè probauero. Quęſo vos obteſtorq́ue, Auditores, vt qui adeſtis corporibus, animo atque attentione adeſſe quoq; velitis. Atq; vt è portu tādem ſoluens in altū mare plenis, vt ita dicā, Velis feratur oratio noſtra; an non hoc pręclarum lumen Reipublicę Chriſtianæ D. paulus, publicis monumetis memoriæ poſteritatiq́ue conſecratis expreſſum teſtatumq́ue reliquit, cùm ad Romanos 2. cap. ita ſcripſit? Nō auditores le-

gis iusti sunt apud Deum sed factores legis iustificabuntur. Quid, queso, ad Galat. primaq; ad corint. 5 cap. aliud voluit significare, quàm ad vitam æternam comparandã præclaras honestasq; actiones omninò esse necessarias dum ait ?dico autem vobis quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Per iniquos autem D. paulum non solùm Ethnicos, hominesque falsorũ cultui Deorũ addictos, verũ etiã Christianos fædissimis scelerib. inquinatos atque omni turpitudinis genere oppressos intelligere, est ita clarũ, vt nullus sanæ mentis negare ac inficias ire possit. Decimo verò quinto eiusdem Epistolę capite quid aliud clamat, quid aliud intendit, q̃; fidem charitatis præsidio nudatam infirmam esse, ac nihil ponderis momentique ad salutem consequendam habere? cùm inquit, si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem, autem non habuero, nihil sum. En D. Paulus, cuius authoritas iure, meritoque apud nos omnes plurimùm valere debet, clarè docet, fidem solam ad salutem nõ sufficere. En hoc capite confirmat inanem esse omnem nostram spem, inanem contentionem, inanes

deni-

deniqueatque inutiles omnes labores nostros ſine charitate ſuſceptos. Quid igitur ad ſententiæ noſtræ confirmationem deſiderari poteſt ampliùs? Hîc cùm ſe aduerſarij noſtri grauiter premi atque vrgeri nō ignorēt, quos Mæandros ſequantur, quas flectiones atque latebras quærant, vt certiſimum telorum noſtrorum ictum deuitent, diligēter, queſo, animaduertitote. Nō minùs enim ſubtiles Philoſophi quā profundi Thelogi duo precipua genera fidei, hiſtoricum nimirùm atque Chriſtianum, non tàm è ſacris literis eruerunt, quàm ex proprio cerebro deprompſerūt. Qua quidem tam ſubtili inuētione plurimùm triumphantes, ac tanqam de victoria parta encomium, vt in prouerbio eſt, canentes, è manibus noſtris euadere conantur, abundeque ſe nobis ſatisfeciſſe videri volūt, ſi clariſsimum virum D. Paulum in illo loco non de vera ac Chriſtiana fide, ſed de hiſtorica tantū ſermonem habuiſſe dicūt. O præclaram Reſponſionem, O audaciam incredibilem, O impudentiā predicādam. An non hoc vt ſacris paginis vim inferre earumque germanam intelligētiam abſtracta atque violenta explanatione ne-

fariè pollucre, ac prophanare? An non hoc est in explanãdis atque enodandis sacræ scripturæ locis grauissimorum virorũ authoritati conspiranti, Ecclesiæ consensui, apertissimo denique clarissimoq; contextui stare nolle, sed neglecto, repudiatoque totius terrarum orbis iudicio, proprium sensum sequi velle? Atque certè, quàm falsa ac à vero aliena sit ipsorum expositio, quilibet vestrûm haud difficulter intelligere poterit, si paulò attentiùs locum prædictum mentis oculis perlusstrauerit. Non enim prȩstantissimus vir D. Paulus ad eos scribit, qui cæcis ignorantiæ tenebris, atq; tenebrosissima gentilitatis erroris caligine oppressi iacebant, sed eos alloquitur, qui clarissima diuinæ veritatis luce illustrati, animo ac voluntate vehementer dissidebant. Quod sanè vel ex eo apertũ manifestumq́ue euadit, quòd eorum, ad quos scribit, non tam fidẽ veram desideret, quã coniunctionem mutuamq́ue beneuolentiam requirat; neque eos tàm perfidiȩ nomine accuset, quàm de mutuis atque intestinis odijs ac dissẽsionibus grauiter reprȩhendat. Quid igitur nunc nostri respõdebũt prȩclari Euangelici? Hȩrebũt (Auditores)

ditores) atque quô se vertant nescient; ne tamen omniò tacere videantur, vtque suũ errorem quibusdam verborum inuolucris tegant, fidem à charitate non distingui dicunt. Hîc primùm suam produnt ignorantiam, stuporemque incredibilem toti terrarum orbi deridendum exponũt. O profundos Theologos, O subtiles Philosophos; vbi est vestra, quam tam crebrò prędicare soletis, singularis sapientia? vbi admirabilis illa, quã plenis faucibus personare soletis, rerum diuinarum humanarumque cognitio? O pestes, O labes, O tenebræ. An nõ videtis vos charybdim vitare volẽtes scyllam incidisse? Adeò ne estis, non dicam, Theologię, sed etiam philosophię ignari, vt crassissimum vestrum errorem ipsi non compręhendatis? Tanta ne caligo mentis vestræ aciem perstrinxit vt lucem claram intueri nõ possitis. Etenim, Audit. vt longè alia fortissima argumenta, quibus tam execrandum errorẽ labefactare ac funditùs euertere possem, studio prætermittam, vnico nunc eos telo ex instructissimo philosophiæ armamentario deprompto, prosternã. Quis enim est, vel mediocriter in philosophia versatus, qui

collationem inter ea quæ idē ſunt eſſe non poſſe neſciat: Dicet quilibet, nō dico, philoſophus, ſed quicunque huius nominis vim inſpexerit contentionem nō eorum, quæ idem ſunt, ſed pariū ſimiliumque eſſe. Verùm cùm præclariſsimus gentiū Doctor in fine citati capitis diuinas haſce virtutes, Fidem, Spē, Charitatemque inter ſe cōferat, et, quod longe maius eſt, charitatem cæteris omnibus anteponat, quis erit adeò rudis qui fidem à charitate diſtinctā eſſe non videat? Quis adeò veſtrûm ſimilis qui vos, tanquam peſtilentiſsimos homines, fraudulentiſsimosque impoſtores lōge à Republica arcendos non arbitretur. Sed quoniam horum importuniſsimorū hominum abſurdiſsimas reſponſiones refellēdo, lōgius quàm volebam lapſus ſum breuiter eô vnde digreſſus ſum reuertar. Fitmiſsimum verò Reipublice Chriſtianæ preſidium atque columen D. Petrum hanc veritatem expreſsiſſe quo ore negare poterūt. Teſtis eſt prima ſua epiſtola in cuius ſecundo capite his verbis vtitur: Satagite, fratres, vt per bona opera certam faciatis veſtrā vocationē et electionē. Neque certè viuum prope inocentiæ ac integritatis exem-

exemplum D. Ioannes obſcurè hoc nobis ſcriptũ reliquit, cùm vt aliis, exemplo, moribus ac innocentiâ præluceamus grauiſſimis nos verbis eſt adhortatus Quid verò de clariſsimo Reipulicæ ornamento D. Iacob dicam? qui, me hercle, adeo eſt lõgius atque copioſius in hac veritate proſequẽda, vt aduerſarii noſtri tot tamque claris teſtimoniis conuicti, cùm ſe aliter ſtare, ac ſaluos in columesque eſſe non poſſe probè intelligant, ad contumelias conuitiaque, more ſuo, ſeſe conuertere eiusque epiſtolæ authoritatem eneruare, infringere, conuellere, eamque tamque ſtramineam (placet enim ipſorum verbo vti) ac tanto viro minimè dignam è ſacratiſsimorum librorum numero expungere, atque ex hominum memoria penitus tollere cogantur. Atque ne longiùs abeamus ipſum humani generis ſalutis autorem conſulamus, eumque ſic loquentem apud Math. 19. cap. audiamus: ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata. En Chriſtus omnis veritatis fons vberrimus, ſi tandem aliquãdo ex optatiſsimo illo beatitudinis portu perfrui velimus, neceſſariam nobis diuinorum mandatorum obſeruationem pa-

lam profitetur. Quid igitur noſtra veritate poteſt eſſe certius? Matth. verò 22. cap. à principe quodam viro, de maximo grauiſsimoque omnium mandatorum interrogatus, non fidem hoc eſſe, ſed ſummum erga Deum amorem, reſpondit. En Chriſtus os ſapientiæ, verbum Patris, morum ac totius vitæ noſtræ magiſter, ſalutem noſtram non in fide ſola conſiſtere, ſed in ardẽtiſsimo erga Deum, hominesque amore ſitã eſſe, clarè teſtatur. Quis igitur eorũ impudentiam, qui æternam felicitatem, in fide nuda poſitam atque conſtitutam eſſe volunt, ac publicè proclamare audent, nõ admiretur, execretur, atq; deteſtetur? Non dubito, Aud. quin vel hæc ſola tã clara atque manifeſta teſtimonia cuilibet veſtrûm ad fidem faciendam ſententiamque noſtram corroborandam abundè ſufficientia videbuntur. Sed quoniã cum hominibus perfrictæ frontis, ac egregiè impudentibus agendum mihi eſt, quiue pudorem ſimul cum ratione exuerunt, veniam dabitis, atque ignoſcetis, ſi paulò fuero longior. Itaq;, vt in incepto diſputationis curſu progrediar, quæro ab iſtis concionum procellis, quibus humani generis conſeruator

uator verba hæc ſit dicturus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ, quod paratum eſt vobis ab origine mundi. An iis ſolùm, qui diuini amoris pleni ex hac vita emigrauerint hoc dictum iri negare poterunt? An non Matth. 7. affirmat: Nõ omnis qui dixerit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei. Ioannis verò 5. cap. nõne aſſerit; procedent qui bona egerunt, in vitam æternam, qui verò mala fecerunt in reſurrectionem iudicii. Atque (vt infinita alia prætermittam) quoties nobis, niſi penitentiam agamus, et in omni virtutum genere nos exerceamus, interitum atque perpetua ſupplicia minatur? quoties omnem arborem frugem bonam non ferentem excindendã, Vulcanoque conſecrandam fore, apertè diſſerit? Quos, quæſo, alios, homo ille apud Matthæũ 22. cap. veſtem nuptialem non habens, et apud eundem 25. quinque fatuæ virgines referunt, quàm Chriſtianos virtutũ ornamentis atq; charitate deſtitutos? Sed quid ego in re tam manifeſta cõquirendis teſtimoniis lõgiùs i moror, plena ſunt hac de re auguſtiſſimorũ vatũ oracula, plena nouæ legis monumenta,

menta,pleni sanctisimorum virorum libri plenæ deniq; sapientum voces. An non ex tot tantisque locis,clarè cernunt, bona opera si hac vitâ functi ad cœlum migrare cupiamus, summopere esse necessaria? O miseros,si tandem aliquando intelligant, miseriores si nō inrelligant satis superque sententiæ nostrę veritatem perspexisse vos arbitror? nunc quid aduersarij nostri sentiant,breuiter auditote.Dicunt itaque,atquequantùm voce possunt,contendunt fidē solam ad salutē sufficere eiusque solius præsidio tutò ac securè ad felicisimā illā beatisimarum mentium sedem euolare nos posse affirmant.Eam quidem doctrinam non se humanitùs didicisse, sed diuinitùs accepisse nō ex suo capite finxisse,sed ex limpidisimis Euangelii fontibus hausisse lætantur,atque gloriantur.Etenim inquiunt,quibus,quæso, verbis clarisimum Reipublicæ christianæ lumen Diuus Paulus clariùs hoc nos docere potuit, quàm cùm magnum illum Abrahamum sanctisimosque veteres patriarchas non ex operibus legis sed ex fide sola iustificatos esse sępius fatetur:sic enim,aiūt,pasim,scribit credidit Abraham Deo & reputatum est illi

illi ad iuſtitiam. Ac ne quis exiſtimare poſſit mūdi conſeruatorem ab ipſorum parte non ſtare, minimè ſibi pro hac re confirmanda grauiſsima locupletiſsimaque humanæ libertatis vindicis teſtimonia deeſſe prædicant. Hoc enim eum expreſſè tradidiſſe omnibus illis in locis volunt, in quibus iuſtos ex fide viuere et in ſe ſperantes nunq̄; perituros affirmat. Illud autem maximè vrgent, atque Achillis loco dicūt quod Math. 9. habetur, fides tua ſaluam te fecit. En claram hæreticorum ſententiam, en validiſsima, firmiſsimaque ipſorum teſtimonia. Quis igitur de ipſorum doctrinę veritate, ac robore ambigere eamque de cælo profectam eſſe dubitare poterit? O præclaram noſtram conditionem, O tempora felicia cunctisque mortalibus vehementer accepta. Erupit tandem aliquādo in apertum latens atque obſcura veritas affulſit aliquando tandem Repubḷi. Chriſtianæ clariſsima illa lux, quæ ſuo ſplendore depulſa profligataque longè lateque denſiſsima oculorum caligine totum terrarū orbem illuſtret. O incredibilē dei immortalis benignitatem. O clementiam prædicandam. Reſpexit nos tandem aliquando,

Aud.

Aud. diuinum Numē, atque, ne omnes cō ciderem us atque in Acherontem præcipi tes rueremus matura ac ſalutari nos ope recreauit. Excitati ſunt tandem aliquando ſummi illius rerum omnium opificis beneficio; ſiue potiùs de cœlo dimiſsi pręclari ac diuini quidam homines, qui Rempublicā Chriſtianam iacentem erigerent, ſtratam ſubleuarent, euerſam reſtituerent, obſcuriſsimis errorū tenebris circumfuſam acerbiſsimoque operum iugo oppreſſam in clariſsimam lucem iucūdiſsimamque libertatem aſſererent atque vindicarent. Ec quis igitur erit tàm impius ac tàm parū de ſalute ſua ſollicitus, qui præpotēti Deo, pro tā diuino atque immortali beneficio, gratias non agat, quantùm poſsit, maximas? Quis tā ingratus, qui vos, Luthere, Mathia Illirice, Nicol. Ambsdorphi, vt viros pręclaros ac diuinitùs ad Reipublicę ſalutē natos. ob nauatam præclaram operam, ob maximos labores in omniū mortalium ſalutem impenſos, ob Rempublicam denique Chriſtianam cōſeruatam, ac ab operùm tyrannide liberatam, omni honorum genere afficiendos atque exornandos eſſe non cenſeat? O miſeros atque infeli-

infelices Maiores nostros? quis, queso, est tam durus, ac ferreus qui ipsorum vicem non doleat? Diue Augustine ne quid est, quòd necessitatem bonorum operum tãto studio atque contentione defenderis ac propugnaueris? Quid sibi uult, quòd singulari eruditione atque incredibili sapientiâ præditus, in re tanta tam grauiter erraueris turpiterq; impegeris? Sed quid mirum, homo fuit, labi ac errare potuit, non dignus, cui Deus abditissimorũ quorumcunque intelligentiam tribueret. D. Hieronyme misereor tui, quid est, quòd spretis contemptisque dulcissimis voluptatum illecebris, tanta crudelitate in corpus tuum desæuiens teque laboribus, fame, vigiliis, aliisque corporis attritionibus cõfeceris? D. Ambrosi, Basili, Chrysostime, Gregori Nazianzene, cur vobis tam malè consuluistis, cur ad domini, genio non inseruiuistis iucundissimumque huius cœli spiritum, suauissimamque lucis vsuram in summis voluptatibus non traduxistis? O stultos Antonios, Franciscos, Dominicos Benedictos. O amentem Brunonem, rusticum Ignatium, nulliusque consilii omnes veteres Patres, atq; omnes omnium ordinum

num ac religionum Duces atque autores. Vtinam tantis viris ad vitam redire integrum eſſet, nō enim dubito, quin aliam viuendi rationem viamque ingrederētur, veſtramque doctrinam vtpotè celitùs hauſtam gratiſsimis animis obuiisque, vt in Prouerbio eſt, vlnis amplecterentur. Sed quoniam in eo ſtatu iam verſantur, vt nullo auxilio humano iuuari ampliùs poſsint, non eſt quòd magnopere de ipſorum ſalute laboretis, atque oleum operamque (vt aiunt) perdatis, aliô ſunt conſilia, cogitationes laboreſque veſtri cōuertendi, multi adhuc hodie ſunt, qui inueterato illo ac fatali errore decepti, ac falſa ſuperſtitione inducti exiſtimantes nemini ſine labore ac virtutum ſtudiis expeditum ad iucundiſſimam illam beatiſsimarū mentium ſedē patere aditum, in abdiſsimas atque ab hominum conſuetudine conſpectuq; remotiſsimas abdūt ſe ſolitudines? Quid, ceſſatis eos ab incepto vitæ inſtituto reuocare? multi adhuc hodie reperiuntur, qui vt ex tempeſtuoſo turbulentoque pelago ſalui atq; incolumes euadant, ad clauſtra ſacrorum collegiorū, tanquam ad tutiſsimos tranqui-

tranquillitatis ac ſalutis portus cõfugiunt, quid ceſſetis eos à tanto errore ad ſaniorem mentem traducere? multi adhuc hoc noſtro tempore incitatiſsimo in virtutis pietatisq; ſtudia impetu rapiuntur, cogitate paulùm, quibus verbis incenſam eorum cupiditatem comprimatis ac reſtinguatis. Quis, quæſo, hos homines æquo animo ferre poſſet? quis non eos, tanquam atrociſsimos Reipublicæ Chriſtianæ hoſtes, pacis ac otij turbatores, iuris diuini atque humani comtemptores fugiendos & repellendos cenſeat? quis tantam arrogantiam tamque intollerabilem dicendi libertatem comprimendam non ſtatuat? Vos ne, impuriſsimi ganeones, ſanctiores Antonio, Franciſco, Dominico; ſapientiores Auguſtino, Hieronymo, Baſilio? facio iniuriam clariſsimis ac integerrimis viris, quòd eos cum his tenebris conferre coner, conferam tamen, pace tantorum virorum, vt ipſorum inſania clariùs eluceſcat. D. Antonius tãta ſanctitate floruit, vt, quod hominis ætas admiratur atq; obſtupeſcit, non hominũ ſed volucrum in cibis aſportandis operâ vſus fuerit. D. Franciſcus ea fuit morum integritate ac vitæ

innocentiâ præditus, vt Christi colloquio atque consuetudine nihil habuerit familiarius. Hísne vos lutulenti sues nō solùm conferre, sed etiam anteferre audebitis? D. Augustinus & Hieronymus (vt de aliis taceam) tanto valuerunt ingenij acumine, mentisque sagacitate, vt cœlum penetrârint, altissima & abstrusissima quæque inuestigârint, eaq; quæ humanæ mentis angustias excedere longissimè videbantur, fœlicissimè sint assecuti. Vósne plùs his sapietis, maioremque vobis rerum diuinarum cognitionem tribuetis? Vósne totam antiquitatem grauissimi erroris condemnabitis, omnesque Maiores nostros ad inferos relegabitis? Scilicet, vos soli docti, illi imperiti, vos soli sapientes, illi stulti, vos soli sancti, illi profligatæ vitæ. O rem indignam, ô superbiam minimè ferendam, quousque tandem progredietur hæc tanta iactantia atque temeritas? quousque nobis verba dari ac imponi patiemur? vbi est nostra in Maiores nostros pietas? vbi amor vbi religio? Hâcne insignem antecessorum nostrorum iniuriam inultam relinquemus, atque ab ipsorum cineribus non vindicabimus? Quid autem

potest

poteſt dici grauius, quàm Maiores noſtros omnes in denſiſsimis ignorãtiæ ac errorũ tenebris iacuiſſe, huiuſque corporis vinculis ſolutos in cacodemonis crudeliſsimi Tyranni manus, poteſtatemque incidiſſe. Te te, Martine Luthere, peſtem patriæ, buſtum Reipublicę Chriſtianę appello, te, inquam, quem ſuorum ſcelerum pœnas dare, & perpetuis ſuppliciis apud inferos excruciari dubium non eſt, alloquor: Qua, quæſo, fronte, quo errore tantum errorem in orbem terrarum inuehere, peſtilentiſsimumque dogma in Rempublicam Chriſtianam euomere auſus fuiſti? Non te perpetuus Eccleſię conſenſus, non vetuſtiſsima traditio, non te denique omnium ſanctiſsimorum Patrum authoritas commouit? Verùm quî te hæc commouiſſent, quem non debita erga Chriſtum religio, non iura diuina atq; humana, non ratio deniq; ipſa in officio continere potuit? Quis igitur te tantus furor occupauit? An non cernebas te humani generis ſalutis authori grauiſsimi mendacij notam inurere. Quòd ſi enim tantæ tenebræ vniuerſam Rempublicam Chriſtianam inuaſerunt, vt tu omnium mortalium impu-

dentissimus dicere non erubuisti, quo pacto illud diuinis suis promissis, quibus se semper Ecclesiæ suæ adfuturum, neq; eam vnquam deserturum, aut vt in errorum scopulos impignat passurum spospondit, conueniet? Qua igitur ratione ipsum à tali culpa maculaque liberabis? Agè verò, an nõ videbas, te eũdem in inuidiam odiumque omnium vocare. Nam si superflua, ne dicam, ad salutem perniciosa, sunt bona opera, quorsum igitur illa tantoperè nobis commendauit, quorsum amãtissimos sui discipulos tot labores subire, equuleũ, cruciatus, tormenta, verbera perpeti, vitã deniq; ac sanguinem profundere voluit. Misera sanè atque deploranda esset conditio vestra, fortissimi inuictissimique religionis Christianę propagatores, D. Petre & Paule, si tantorum laborum ac miseriarum præmium nullum reportâssetis. Crudelis Christus, ne dicam, immanis, si eos, qui nomen suum per totum terrarum orbem illustre reddiderunt, ac flumine sanguinis fidem Christianam longè lateque propagauerũt, nullo honore cumulâsset. Verùm, quàm hoc sit alienum Christique clementia atque incredibili erga amicos

suos

ſuos benignitate indignum, quiuis qui de rationis ſtatu non diſceſſerit, facilè iudicare poteſt. Quòd ſi enim in hac vita, eos qui pro Regum ac principum honore, durum ac aſperum prælium ſubierunt, ampliſsimis muneribus affici, maximiſque dignitatibus augeri paſsim conſpicimus, exiſtimare, Chriſtum erga ſuos fideliſsimos amicos honoriſq; ſui defenſores ingratum fore, minimeque cumulatè ipſorum meritis ſatisfacturum, non ſolùm nefas eſt, ſed etiam impium. Certum enim eſt, idque ſacris paginis expreſſum, libertatis noſtræ parentem, nullius boni immemorem fore, neque vel vllum malum ſine ſupplicio, vel bonum ſine mercede præteriturum. Atque huc ſpectat illud qui plùs feret, plùs colliget, & huius generis infinita alia, quę alibi, vbi locus opportunitáſue tulerit, fuſiùs diſcutientur. Cùm igitur homines innocentes ſuorum laborum fructum referre maximum, ipſorumque bonis operibus copioſiſsimam mercedem reſpondere, neceſſariò, (niſi grauiſsima in Chriſtum conuitia iacere, ipſumque crudelitatis nomine aſperrimis opprobriis contumeliiſque onerare velimus)

mus) fateri cogamur, quis erit ita mente captus, qui quàm falsa ac absurda sit nostrę tempestatis hæreticorum opinio omnia bona opera inutilia ac pestifera asserentium, clarè hinc non perspiciat? Magnum habēt hæc, Audi. si res æquitatis statéra examinetur ad reprimendam Lutheranorũ audaciam, errorisq; falsitatem ostendendam robur, ea verò quæ sequuntur nõ minorem habere vim, si rem diligenter perpenderimus, intelligemus. Quamobrem, vt ad te reuertar, Luthere, vel singularem cæcitatem admirari, vel insignem peruersitatem execrari satìs non possum, quòd tanto exarseris erga bona opera odio, vt ea prorsus abiicienda ac negligenda esse censueris, populoque fidem solam ad salutem sufficere persuadere conatus fueris. An enim hoc non est, hominibus amplissimam debacchandi, atq; in vitia se ingurgitandi facultatem concedere? An non hoc est Iuuenum animis incredibili libidinis æstu deflagrantibus ardentes faces ministrare? An denique hoc nón est sepultam ac in profundo inferorum demersam Epicuri doctrinam, ab inferis ad lucem reuocare? Quid, quęso, hoc est aliud, quàm

Iustus in omni opere bono peccat.

virtu-

virtutem profligare, bonos mores, innocentiam, integritatem in exilium ablegare, insita hominum animis pietatis semina radicitùs extirpare, vitæ denique societatem è medio tollere? Etenim, si ad æternam beatitudinem comparandam parùm refert, benè ne quis an malè viuat; quis nõ sibi eam viuẽdi viam ineundam existimabit, quæ omnis doloris, laboris ac miseriæ expers, plena sit voluptatum? quis non, abiecto virtutis studio, omniq́ue pietatis curâ deposita, liberè voluptatibus indulgebit, atque impurę cupiditatis frænum non laxabit, si huius vitæ blandimenta minimè sibi ad perpetuam fœlicitatem assequendam impedimento futura cognouerit? Quis igitur pro vita æterna multùm se affliget atque excruciabit, quam minimo labore cõsequi poſsit? Cùm enim, vt præclarè sagaciſsimus naturę venator docet Aristoteles, stultè illud pluribus peragatur, quòd æquè commodè paucioribus transigi atque confici poſsit, cogitabit quilibet frustrà se in eo acquirendo multum studij laboris ac operæ ponere, quod minori negotio ac difficultate, pari tamen commodo, nancisci valeat. Quod sanè quàm per-

perniciosum sit, quantumque damni ac detrimẽti Rebuspub. importet, neminem ignorare arbitror. Cum enim ciuitatis incolumitas à ciuium virtute dependeat, atque longo vsu & experientiâ exploratum compertumque sit, necessariò ciuium dissolutos mores, ciuitatis ruinam consequi, fieri nõ potest, quin hæc noua Lutheri doctrina, ex qua, tanquam ex seminario, omnis vitiorum ac malorum sentina emanat, atque proficiscitur, externam Reipublicæ Christianæ adferat calamitatem. Cuius enim, Audit, præclari conatus non infringantur, industria languescat, incredibilis immortalitatem consequendi ardor non deferuescat, si virtutum actiones in laude non reponãtur, sed summorum vitiorum loco habeantur, si ad cœleste domicilium assequendum nihil conferant, obsint autem quamplurimùm? Mirantur plerique perturbatum Reipublicæ Christianæ statum, mirantur inueteratas horum temporum miserias atque calamitates, mirantur denique morum huius ætatis peruersitatem: ego verò, quòd grauiora mala non consequantur, quòd sacra profanis non misceantur, ac omnia susq; deq; ferantur

dignum

dignum potiùs admiratione iudico, ac ſummi diuini beneficij loco reponendum exiſtimo. Quid enim mirũ, ſi paſsim iaceāt neglecta virtutis ſtudia, quid mirum, ſi homines totos ſe Bacho ac Veneri cõſecrent, ac pecudum more in cœno voluptatum volutentur, cùm neminem ob quæcunque flagitia ac ſcelera, modò fidem retineat, cœleſtis patriæ repulſam paſſurum authore Luthero didicerint? Hócne, Luthere, Euangelio, hoc Chriſti doctrinæ cónuenit? An non Chriſtus apud Matth. 7. cap. clarè profitetur, ſi ad optatum cœleſtis patriæ portum appellere ac peruenire deſideremus, aſperam nobis anguſtamq; portam ineundam ac ingrediendam eſſe, cùm ait: Intrate per anguſtam portam, quia lata & ſpatioſa ducit ad perditionẽ, & multi ſunt qui intrant per eam, anguſta autem ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Quomodò autem hoc verum eſſe poteſt, ſi fidei ſolius ſubſidio ad ſuperos euolare poſſumus. Quæ porrò erit ad feliciſsimũ illud cœleſtiũ ſpirituum domicilium perueniendi difficultas, ſi fides ſola quę à quolibet haberi facilè poteſt ſufficiat. An non cernis an non perſpicis tuum funeſtiſsi-

mum dogma ex aduerso cum diuinis literis sacrisque Euangeliis pugnare? An non cernis rationi ipsi repugnare? Quòd si enim in hac vita nihil præclarũ ac arduum sine magnis laboribus, vigiliis ac molestiis acquiri atque comparari potest; cœlestem illam beatitudinem, quâ nihil potest esse excellentius, nihil admirabilius, nihil sublimius, nobis otio, desidiâ ac voluptatibus diffluentibus, à summo illo mundi Architecto datum ac tributum iri credemus? Scilicet, quinque virgines sapientes apud Matth. 25. cap. dormiendo sponsi sui beneuolentiam amplexumq; sunt meritæ; scilicet, diues ille Epulo apud Lucam 15. ca. in diem viuendo, fœlicitatem est cõsecutus; scilicet, Christus negligẽtibus ac vitam in quiete & otio traducentibus mercedem promisit. Quid hoc potest dici absurdius, & sacris literis repugnãtius? O præclarum Lutheri dogma ac planè diuinum, quod tam bellè, cum augustissimis sacræ fidei nostræ monumentis consentit, ac tam mirificè cum ipsa ratione cõgruit? Quis igitur pestiferã Lutheri doctrinam, tanquam angue peiorem nõ fugiat & abominetur? quis Lutherum diris non deuoueat, quis

deniq; non doleat tot patriæ noſtræ ciues, huius dogmatis ſuauitate captos, laqueiſque irretitos tàm miſerè periiſſe? Quàm multos enim præclari noſtri Euangelici ad interitum, æternaque ſupplicia adduxerunt? quàm multos ad orcum detruſerunt. Oceanus, medius fidius, non tot homines abſorpſit, quot animas Lutheri Euangeliũ peremit, ac æterna morte deleuit. Vtinam vtinã, vel nunc tandem aliquando mortales, diſcuſſa oculorũ nubeculâ, clariſsimam ſolis lucem intuerentur, ac quibus animæ ſuæ ſalutem committerẽt, perpenderent. Verùm dum blãdiſsimis voluptatum illecebris pellecti Lutherum audiunt, dum inani fidei præſidio fulti, nihil de ſalute ſua ampliùs ſunt anxij, ſed cæco animi ardore in omnem turpitudinem feruntur, omnis fraudis ignari, in æternum exitium, proh dolor, præcipites ruũt. O incredibilem hominum cæcitatem; quid facitis Germaniæ ciues? quid facitis? quãdo tandem ab arcto illo ſomno, quo oppreſsi iacetis euigilabitis? An non in quas vos fraudes aſtutiſsimi illi inſidiatores impellant, deprehenditis? An non quas inſidias vobis ſtruant percipitis? An non vide-

tis hos audacißimos homines voluptatũ escis, ac tam suaui dogmate, ad animæ vestræ perniciem, perpetuumque interitum abuti. Sicne in re tanta cõsideranda, à qua perennis animæ vestrę vita ac salus dependet, negligẽtes estis? sicne flagitiosißimorum hominum dictis ceditis? siccíne auitam maiorum nostrorum religionẽ proditis? Hæcne est vestra pietas? hæcne omnium gentium literis linguisque celebrata constantia? minimè, ô germani, germani estis, magno sanè in errore versamini, si in flagitiis viuendo, voluptatesque persequendo posse vos Dei conspectu perfrui arbitramini. Non illa via, quæ cupiditatibus prauisque affectibus blanditur, ad cœlum ducit. Aliter D. Paulus ad Rom. 8. ca. docet, cũ ait: Fratres debitores sumus nõ carni, vt secundùm carnẽ viuamus, si enim secundùm carnem vixerimus, moriemur: sin autem spiritu facta carnis mortificauerimus viuemus. Dicendi finem nõ faciam, si cuncta in hanc sententiam D. Pauli testimonia enumerando persequi velim. Quæ cùm ita sint, cùm bona opera summæ ad salutem adipiscẽdam necesßitatis esse manifestum ex his sit, quis erit adeò à com-

muni bonorum omnium sensu alienus, qui crudelissimos Christianæ religionis hostes, quòd rem tanti momenti, quam clarissimè sacra volumina tradiderũt, antiqui patres ad vnum omnes asseruerunt, quam denique perpetuò Ecclesia docuit, (quòd inquam rem, tanti momenti, quâ omnium nostrûm salus continetur) oppugnare, inuadere ac funditùs euertere ausi fuerint, omni odio dignos esse non sit iudicaturus; aut quis erit ita perditus, qui bona opera cõtemptui sit habiturus? Non enim ea fides, quæ charitate orbata est, quicquam prodest, sed quæ per charitatem operatur, illa inprimis nobis, D. Paulo teste, vtilis salutaris ac necessaria est. Itaq; vt tandem terminetur oratio nostra Audit. si æternæ beatitudinis desiderio deflagramus, operemur bonum dũ tempus habemus, ne tenebræ nos comprehẽdãt, exerceamusq; nos in omni virtutum, præclarissimarumq; actionũ genere, neq; vllis laboribus difficultatibusq; vel frangi, vel voluptatum lenociniis à recta viuendi ratione abduci nos patiamur.

CON-

CONTROVERSIÆ ADVERSVS NOSTRÆ TEMpestatis Hæreticos de bonorum Operum & Sacramentorum necessitate, pars secunda.

Per modum Apologiæ.

QVAM grauis ac perniciosus sit hæreticorũ bona opera reiicientium error, abundè satis in prima oratione, pro ingenij mei tenuitate, ostendi. Adeò enim pestilens est hoc dogma, vt si semel hominum animas occupet, mores ac virtutes omnes pessum eant, Christianaque Respub. funditùs euertatur, necesse sit; vt vel ex hoc cognoscere facilè omnes posint, quàm hostili erga Ecclesiam fuerit animo Lutherus, qui virus hoc pestiferum euomuit. Verùm, quoniam intellexi quosdam temerè persuasos opinari falsò id Luthero eiusque asseclis tribui atque ascribi, Lutheranosq; minimè in operum necessitate astruẽda à nobis dissentire; denuo hac de re scribere operę pręcium duxi. Hæretici enim nonnulli cùm intelligerent Lutherum ob tam execrandum errorem malè apud plerosque audire ac graui inuidiâ laborare, & quod illis erat grauius, magnam

magnam hanc ob cauſam à ſua Religione diſceſsionem factam, vt Lutherum ex flagrantiſsimo odij incendio eriperent, rebusq; ſuis conſulerent, diuulgare ac ſcribere minimè ſunt veriti; Lutherum, & qui eius partes ſequũtur, bona opera, vno ore prædicare ac vnanimi conſenſu recipere, in eo autem duntaxat à nobis diſcrepare, quòd iuſtitiam ac gratiam iuſtificantem non ab operibus, ſed à fide pendére arbitrentur, quódue exiſtiment bona opera non ad acquirendam copioſiorẽ iuſtitiam valere, ſed ad manifeſtandam ac atteſtandam fidẽ ſolùm neceſſaria. In quo ſanè ſingularém Hæreticorum impudentiam admirari ſatis nequeo. Quid enim eſt tã clarum ac perſpicuum, quàm Lutherum bonis operibus bellum indixiſſe, ac multis antè ſeculis condemnatum Eunomij errorem ab inferis in lucem reuocaſſe? qua enim alia via, tantum ſibi Principum fauorem, Optimatum ſtudiũ, populi beneuolentiam conciliauit, quàm Chriſtianam libertatẽ immoderatè efferendo, difficultatem æternæ beatitudinis nimiùm extenuando, cœlum terræ miſcendo, omnia denique iura Diuina atq; humana effringendo?

gendo?

gendo? non tam facilè quas fecit fabulas mortalibus persuasisset, neque tantum incendium, quo iam, proh dolor, tota fere Európa conflagrat, in orbe terrarum excitâsset, nisi auribus hominum seruiisset: sed facilè fuit homines, sua spōte ad voluptatem prónos, noui Euangelij suauitate ad nouarum rerum studium allicere, eosque effrenatæ libertatis homo in fraudem pernitiemque impellere. Cùm itaq; tempora nostra sic ferant, vt nihil sit tam firmum ac munitum, quod importunissimi quidam homines per summum scelus & audaciam non oppugnent, nihil tam manifestum quod inficias ire non âudeant, haud abs re fore existimaui, si scribēdi prouinciam susciperem, ac infernales illas furias, sceleris & mendacij conuincerem. Atque vt rem aggrediar, quis ignorat decem præceptorum obseruationem summopere ad salutem esse necessariam? Sunt enim prima principia, aut certè ex iis deducta, quę naturæ lumine manifesta, omni tempore ac in omni statu totū humanum genus ad sui custodiam astrinxerunt, ita, vt nulla gens tam barbara, tam immanis, ac nō solùm veri Dei cognitionis sed omnis huma-

humanitatis expers reperiri poſsit, qui his legibus non teneatur, ſemperque deuincta fuerit; de quib' ait Regius propheta Dauid: Illuminatũ eſt ſuper nos lumem vultûs tui Domine. Quod cùm certiſsimum ſit, ſolus Lutherus effrenata audaciâ ac pręcipiti furore præditus præcepta Decalogi Chriſtianos non attingere, ac impunè ab iis qui Chriſto nomen dederunt negligi, contẽni ac violari poſſe, apertiſsimè docuit. Sic enim ait in Sermone de Moyſe; decem pręcepta ad nos nõ pertinent, ſed ad ſolos Iudæos. Et paulò infrà idẽ cõfirmãs, ex textu (inquit) clarè habemus, decẽ pręcepta ad nos non pertinere: nõ enim nos, ſed ſolos Iudæos ex Egypto eduxit Dominus. Alibi etiã ea ſeruatu impoſsibilia aſſerit: & in libro de vita coniugali adulterari, fornicari, nõ cenſet eſſe peccata, ideò quòd fiant neceſſariò. Non enim ignorauit ſubtilis Theologus peccatum in libera voluntatis electione conſiſtere ac cũ neceſsitate omninò pugnare. En nouum Euangeliſtã, quã bellè hæc cum Euangelio cõueniunt? humani generis ſalutis author, ſi huius corporis vinculis ſoluti in cœlum migrare velimus, vt, corporis lẽocinia, tãquã manimi

pestem fugiamus, ac prauas cupiditates coerceamus, crebrò nos adhortatur: Lutherus liberè carni & voluptatibus indulgere, libidinesque explere Christianis licere asserit. Diuus Paulus adulteros, fornicatores à cœlo exclusum iri prædicat: Lutherus beatitudinē bonis cum adulteris & fornicatoribus comunē forè, affirmat. Christus Diuina mandata nobis seruatu necessaria esse docet his verbis: Si vis ad vitā ingredi serua mādata: Lutherus Diuinorū mandatorū obseruationē, tanquā iugū acerbiss. à ceruicibus nostris excussit, nosque in summa vitiorum libertate collocauit. Quis vnquam talem barbariem audiuit? an non hoc est virtutem, bona opera, legem Euāgelicam profligare, naturam denique ipsam è medio tollere? Quæ fuit vnquā natio immanitate tā barbara, quæ furta, homicidia, adulteria, tanquàm grauissima scelera acerbissimis suppliciis non fuerit prosecuta? Est enim hæc, nō scripta solùm, sed innata Decalogi lex, quam non tantùm è sacris monumentis didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuim⁹, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non in-

ſtituti, ſed imbuti ſumus: quã & ratio doctis, & natura ipſa ac neceſsitas barbaris præſcripſit. Tantúsne te ſtupor occupauit, Luthere, vt nõ ſolùm Romanos, Athenienſes, Lacedemonios, Carthaginenſes, populos ethnicos, ſed Scythas & immanitate ac barbarie ſuperares? fieri ne potuit vt homo Chriſtianus in tam dẽſas errorũ tenebras laberetur? Equidem non admiror, Lutherum in tantum errorẽ incidiſſe; eô enim amẽtię ſiue impietatis eſt progreſſus Lutherus, vt ſolam infidelitatem cauſam noſtræ ruinæ, perenniſque interitûs eſſe, ſenſerit. Quod quidẽ egregiè in Libro de Sacramento Baptiſmi expreſſum reliquit; vbi fidem ſummis laudibus in cœlum euehens, vide, ait, quàm diues ſit homo Chriſtianus, qui, etiã volens, nõ poteſt perdere ſalutem, quantiſque peccatis, niſi nolit credere; nulla enim peccata eum damnare poſſunt, niſi ſola infidelitas. En, Lutherus clarè aſſerit, hominem Chriſtianũ quantúmuis ſceleratè viuat, ſcelera ſceleribus cumulet, ac in omni vitiorũ & turpitudinis genere volutetur, dumodò fide nõ excidat, minimè de ſalute ſua poſſe dubitare, ne dicam, deſperare. Quid ad profitum

noſtrum oſtendendum fortius firmiusque poteſt afferri? Hæc itaque verba cùm ſint clariſsima ad demonſtrandum, Lutherum omnia bona opera reieciſſe, ac nihil præter fidem ad ſalutem neceſſarium duxiſſe; Bucerus tamen homo verſutus, vt tantam ignominiam tegat, quibusdam verborũ inuolucris nobis imponere, ac verba Lutheri in alienũ ſenſum retorquere nititur. Vult enim Lutherũ nihil aliud velle ſignificare, quàm fidem iuſtificãtem eam eſſe, qua regnante, peccatum exulet, et qua exulante peccatum dominetur; ita vt ſenſus ſit, vnumquemque, quamuis maximis ſceleribus ſit inquinatus, primùm ac credere incipiat, ab omnibus peccatis liberari ac amicum Dei euadere.

Nimirùm, nos ſtupidos ac hebetes arbitraris, Bucere, quaſi tua interpretatione, vt intelligentiam horum verborum aſſequamur, magnoperè indigeamus: nimiùm tibi tribuis, quaſi ſine tuis Cõmentariis mentem Lutheri penetrare non valeamus, ſed falleris, Bucere, ſagaciores ſumus, quã fortaſſe exiſtimes, facilè tuas fraudes ſubodoramur. Quòd ſi de fide informi, quæ mortua à D. Iacobo appellatur, loquaris, planè concedi-

concedimus Lutherum ſic ſentire,vt tu interpretaris,ſi autẽ de fide (quam Theologi formatam vocant) dictum putes,acta agis,verba enim Lutheri clariora ſunt,quã tuus Commentarius ferat;quod facilè ex aliis locis perſpici poteſt. In libro enim de libertate Chriſtiana expreſſè ait,hominem per fidem ab omnibus aliis præceptis liberari,ac fide nuda totam legem impleri Et in articulis à Leone Decimo, Pontifice Maximo,damnatis ſola fide Deo nos coniungi, ſola incredulitate à Dei amicitia nos diuelli aſſerit. Quorſum etiam alibi vbi in ſcripturis iniquitas habetur, infidelitatis nomen ſubſtituit,niſi vt ſuum errorem hominum animis inſereret.Ac ne lõgè abeamus,conſidera, Bucere, poſtrema illa verba,cùm ait (hominem nulla peccata alia poſſunt damnare, niſi ſola infidelitas) quid hoc eſt aliud, quàm vnum ſolum peccatum verè lætale agnoſcere? Certum eſt enim vnumquodque peccatum mortiferũ reddere nos æternæ penæ obnoxios. Vnde ſi plura ſunt peccata, ratione plurium nos æterna ſupplicia incurrere poſſe neceſſe eſt, quod tamen hoc loco apertè inficiatur Lutherus. Longè igitur aberrâſti

à ſcopo, Bucere, meliùs intellexerunt Matthias Flacus Illiricus, Nicolaus Amſdorphius. Nico. Gall⁹, Ioañes Agricola, & plures alij, qui Lutherũ bonorũ operũ neceſſitatẽ negaſſe, liberè profitẽtur: meliùs tibi conſuluiſſes, ſi hanc defenſionẽ omiſiſſes, magno enim te honoris ac famæ periculo expoſuiſti, omnemq́ue apud nos fidẽ effudiſti; qui.n. ſemel falſi cõuincitur, ei poſtea (vt preclarè Romanę facundię Parens teſtatur) ſi per plures Deos iuret, credi non opportet. Sed vt eô, vnde digreſſus ſum, reuertar. An nõ etiam Sacramenta ab humanæ libertatis vindice ad noſtram ſalutẽ inſtituta, aut omnia aut pleraque è medio ſuſtulit? Neminem tam ignarum ac rudem exiſtimo, quem Pœnitẽtiæ neceſsitas fugiat: paſsim enim in ſacris literis apertiſsima extant teſtimonia, quibus nobis ſummoperè commendatur: neque immeritò. Cùm enim in hoc tempeſtuoſo pelago cõtinuis tẽtationũ procellis agitemur, facilè accidere poteſt, vt ventorum turbinibus de rationis gubernaculo deturbati, gratiæ cœleſtis naufragiũ faciamus. Vnde Præpotens Deus, qui hominum miſeretur & commodat pro ſua ſingulari erga genus huma-

humanum benignitate Pœnitentiæ tabulam nobis in subsidiũ superesse voluit, quâ subleuati enataremus & incolumes in portum euaderemus. Quod cùm sit singulare beneficium, Lutherus tamen capitalis virtutis, publicęq; trãquillitatis & otij perturbator, pestis & pernicies orbis terrarũ, hoc pręsidium nobis eripere ac, salutarem Pœnitentiam cacodemonis instinctu agitatus è religione Christiana prorsus exterminare conatus est. Cũ enim vera Pœnitentia tribus partibus, contritione, confessione & satisfactione absoluatur, talem nobis describit Pœnitentiam Lutherus, quæ nullã harum partium conprehendit: optima ait Pœnitentia est noua vita. Et quamuis contritionem admittere aliquando videatur, verbis tamen eam solùm admittit, re autẽ prorsus negat. Duplex est enim contritionis genus; vnum perfectum ac semper cum charitate coniunctum; quod nihil aliud est quàm vehemens animi dolor ex offensione Dei et peccati turpitudine ac grauitate conceptus, cum proposito confitendi, satisfaciendi, vitamque in melius commutandi. Alterum imperfectum, quam attritionem Theologi vocant, quod consistit

in peccati fuga ob metum suppliciorum cũ proposito cõfeßionis & aliorũ vtrũq; exemplo sit Lutherus in articulo quinto his verbis: contritio, quę paratur per discußionem, collectionem, et detestationẽ peccatorum, qua quis recogitat annos in amaritudine animę suę, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amißionem æternę beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, hæc cõtritio facit hypocritã & magis peccatorem. Ex quibus colliguntur duo errores: vnus quo ait, non opportere ad parandam veram contritionẽ discutere conscientiæ latebras & colligere peccata omnia, recogitando grauitatem, multitudinem & fœditatẽ eorum, contra illud Ezechielis: recogitabo tibi omnes annos meos. Alter, quo damnat contritionẽ, quę proficiscitur ex odio gehennę. Quę sanè doctrina nõ solùm falsa, sed etiam impia & in Deum contumeliosa est; Quid enim est in sacris literis timoris seruilis mentione frequentius? Psalm. 118. habetur: configat has carnes timor domini et iudiciorum eius, et in seruitutẽ redigat. Psalm. 7. nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum

tetendit

tendit & parauit illum. Hunc etiam timorem incussit peccatoribus Diuus Ioannes Baptista vir, vitæ innocentiâ, & morum integritate, diuino præconio, celeberrimus, Lucæ tertio dicens: Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Et paulò pòst; iam securis ad radicē arboris posita est, omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignē mittetur. Ac, vt de alijs taceā, quoties nos Christus per hunc timorem ad pœnitentiam inducere conatur? quoties nobis, nisi resipiscamus perpetuas Flammas minatur, nisi conuersi fueritis omnes simul peribitis, Lucæ tertio, Math. 10. & 22. Quod certè altissimo consilio à Deo immortali factū esse, nulli dubium esse potest. Cùm enim præpotenti Deo nostra salute nihil sit antiquius, multis viis nos ad benè beateque viuendū adducere nititur; iam enim proposito immortalitatis prēmio, animos nostros virtutis amore accendit ac exuscitat; iam verò pœnarum terrore ob oculos posito, nos à vitiis ad virtutem reuocat. Atque certè, quantū hæc ratio ad permouendos hominum animos, ad vitam in melius commutandam, & è turpissimis sordi-

bus emergendum valeat, testatur hoc inprimis pręclarum ac celebre Niniuitarum exemplum, qui Vatis, indignationem Dei, ruinam ac interitũ denunciantis sermone commoti, resipuerũt, & ad bonam frugem se contulerunt. Testatur regius propheta Dauid, qui Nathã dira cõminantis verbis excitatus se collegit. Testis D. Paulus, qui cùm capitali odio erga religionem Christianã flagraret, ac maximas tempestates in Christianorum capita excitaret, fulminis terrore perculsus, ad veram Dei cognitionem peruenit, atq; ex grauissimo Christi inimico, acerrimus Christiani nominis propugnator euasit. Testes quamplures Iudæorũ Reges, qui similibus vaticiniis deterriti à vitiis discesserũt. Ac nè infinita persequar, qua alia via summus ille rerum omnium molitor Deus, perfidæ ac Symulachrorum cultui addictissimæ, iudaicæ gentis audaciam fregit, quã grauiter eam castigando, innumeris plagis afficiendo, hostiũ furori ac gladiis obiiciendo? quod præclarè testatum reliquit Vates ille cùm occiderent eos, tunc quærebant eum et reuertebantur. Quid igitur agitis, Lutherani vósne audetis rem celeberri-

mam ac vſitatiſsimam impuro ore proſcindere? An nō videtis vos ſacra Euangelia, vos auguſta oracula erroris condemnare, vos ipſum denique Dei filium ſceleris labe aſpergere? Etenim ſi timor ille ſeruilis peccatum eſt, vt vos dicere non erubeſcitis, effugere non poteſtis, quin ſummum mundi Architectū erraſſe, ac graue crimē commiſiſſe, fateammini; cùm author nobis huius doctrinæ extiterit, & hac via ad hominum ſalutem expediendam vſus fuerit. Neq; certè argumenta Lutheri ad perſuadendum quicquam valent. Quòd enim ait, omnia opera iuſtificationem pręcedētia, eſſe peccatū, conſtanti Theologorum omniū conſenſu reiicitur: multa enim grauia & intollerabilia abſurda, quæ Lutherus deuorare minimè poſſet ſequerentur: ſic enim haud facilè quisquā ratione ſic vtens gratiam conſequeretur. Nam duobus modis Deus immortalis in gratia infundenda vti ſolet; quosdā enim ita ſubitò ad perfectam diſpoſitionem mouet, vt in eodem momento gratiam infundat; quo pacto D. Paulum & Latronē in cruce iuſtificatos accepimus, quod paucorum priuilegium eſt: Alios autem (quæ quidem

via

via communior & Deo familiarior eſt(per prædicationes,inſpirationes & alias huius generis diſpoſitiones,quę longo tempore præcedunt gratiam , conuertit, & iuſtitiæ munere donat,quocunque tandem iſtorũ modorum vtatur Deus , neceſſariò vnus vel plures liberi arbitrii motus naturâ vel tempore,tanquam diſpoſitiones,gratiam pręcedere debēt.Accommodat enim ſe ſapientiſsimus mundi Architectus,in quantùm res fert, rationi ac modo agentium naturaliũ, atque, vt in iis nulla forma,niſi in materiam diſpoſitam,inducitur , actus enim ſunt actiuorũ(vt docet Philoſophus) ſic Deus gratiam non niſi in cor præparatum & humiliatum infũdit.Neceſſariò igitur fateri cogimur præcedere debere aliquas diſpoſitiones vel opera, quibus ad gratiam diſponamur,niſi Deum delectum habere perſonarum concedere velimus. Nequè enim aliam ob cauſam, cur Deus vni potiùs,quam alteri gratiã infundat, inuenire poterimus, niſi quòd vnum magis diſpoſitum & auxiliis moribusque diuinis magis correſpondere inueniat quàm aliũ, quod nec familiæ prędicatorum lumen D. Thomas negauit. Verùm cum hæc opera, quæ ſic diſponunt ſint priora (vt ex dictis

patet)

patet) aliquo modo gratia, peccatum erunt, quo pacto igitur nos ad gratiam disponere poterunt, cùm, vt in supernaturali Sacramentorũ actione videre est, gratiæ dispositio esse nequeat, sed potiùs impedimentum? nõ video igitur, qua ratione gratiam cœlestem assequamur. Hoc autem nõ ita intelligendum est, quasi asserere velim, hominẽ propriis viribus, solo auxilio generali Dei ad gratiã se disponere, ne dicã, eam mereri posse, vt nonnulli Theologorum somniârunt (quod certè à Pelagij errore non longè abesse videtur) sed has ipsas dispositiones peculiari beneficio à Deo profectas libẽter agnosco, nõ enim sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis, quasi ex nobis, vt docet D. Paulùs 2. ad Corinth. 3. Taceam quòd è sordibus Peccatorum sine diuina ope singulari emergere valeamus, quod egregiũ Ecclesiæ lumen D. Augustinus lib. 3. Hypognosticon scriptũ reliquit, vbi ex professo aduersùs Pelagium disserit, quòd homo per liberum arbitrium, nec incipere valet nec perficere, nisi diuino subsidio præueniatur. In cuius confirmationẽ adducit illud Pauli ad philippenses; qui incæpit in vobis opus bonũ, perficiet vsque in diem christi, & illud; cõuerte

uerte nos Domine virtutum et conuertemur, quod certè à Deo non tantoperè esset efflagitandum, si conuersio in Deum in nostra esset potestate absque ipsius Dei auxilio. Facilè igitur qui vel mediocri iudicio pollet nos toto cœlo discrepare intelliget: cùm hi ante infusionē gratiæ, meritū de congruo & sufficientē dispositionē ex viribus naturæ procedere ponant, ego vero solùm congruitatem & imperfectam dispositionē, non tamen sine auxilio speciali cum D. Thoma concedam. Illud etiam quàm sit absurdum concedere, gentiles nimirùm, in omnibus operibus peccare quis non videt? neque enim Samaritana illa mulier, eò quòd in Christum credidit, omnemque suam spem in ipso defixit, peccauit, sed potiùs fructum vberrimum reportauit, voti enim sui compos facta, salutem consecuta est. Orationes quoque & Eleemosynæ Eunuchi Candaces Reginę, & Cornelii Cēturionis, vt in actis Apostolorum legitur, tantùm abest vt Deo fuerint exosæ, vt potiùs, scriptura teste, plurimùm illis profuerint: ascenderunt enim in conspectum domini, & vtrique salutem pepererunt. Non igitur peccatum esset potuerunt,

runt, nisi Deum operibus malis delectari, dicere velimus. Quid? quòd & ignorantia inuincibilis, vt Theologi docent, non solũ gentiles, sed etiã Christianos à multis peccatis excuset? Huc accedit, quòd credendo sperando, & peccatum detestãdo peccarem⁹: &, quod intellerabilius est, quòd Deus optimus Maximus cùm fidei spei & aliorũ liberi arbitrij motuũ causa effectiua sit, effectiuæ auxilio speciali ad peccatum concurreret, quo haud scio, an quicquam absurdius, & magis impiũ dici posit. Quãuis enim nemo Theologorũ negare possit, Deum ad omnes actiones morales tàm bonas quàm malas auxilio generali concurrere: concursus enim ille generalis & influxus adeò est necessari⁹, vt, eo cessante, nulla actio exerceri, ne dicam, vniuersum cõsistere possit; illud tamẽ constanter omnes negant, Deum auxilio suo speciali ad peccatũ cõcurrere. Cùm igitur tot tamq; grauia absurda consequantur manifestum est, Lutheranorum sententiam, ex qua tot absurda dimánant & profluunt absurdissimam esse opportere: ex absurdo enim non nisi, absurdum, sicut ex falso semper falsũ, sequitur. Hoc etiam tacere non possum illos

los hæreticos qui Augustino hanc ignominiam inurunt, ac secum facere gloriantur, benè impudentes esse, ac omnem pudorem exuisse, cùm contarium libro .3. hypognosticō clarissimis verbis edisserat. Sic enim scribit, Audi hæretice, stulte & inimice veritatis fidei, opera liberi arbitrij bona, que vt fiant præparãtur per gratiam præuenientẽ nullo liberi arbitrij merito nō damnamus. Sed hoc omnibus hæreticis gentile est, sanctorum patrũ amplecti authoritatem, quò faciliùs fidem figmentis suis concilient, eosque vel inuitos in sententiam suam trahant. Neque etiam ille locus D. Pauli ad corinth. 13. cap. ex quo Lutherani omnia opera extra charitatem facta peccatum esse probare nituntur, quicquã mouere nos debet; nihil enim aliud his verbis docuit, quàm omnia opera, quę in peccato exercentur, non esse ad salutem consequendam sufficientia, neque meritoria vitæ æternæ, hoc tamen non obstante, non prorsus sunt inutilia. Conferunt enim primò ad euitandam trãsgreßionem præcepti: nam per illa, quiquid dicat Adrianus, implentur mãdata, quo ad substantiam sic ad euitand a alia peccata, nam qui operibus

genere

genere ſuo bonis dat operam abſtinet à malis. Vltimò per illa aſſueſcimus virtutibus,& diſponimur(remotè tamen)ad gratiam.Congruũ enim videtur,vt Deus operanti homini ſecundùm ſuam virtutem, recompenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis. Atq; adeò præpotens ille rerum omnium Opifex nihil irremuneratũ relinquit, vt in bonis temporalib⁹ has actiones ſępè recompẽſet.Nabuchodonoſor enim Rex, eò quòd diuinis mandatis paruerat, nobiliſsimum Ægypti regnũ obtinuit: ſic meretrix illa Rahab, vt legitur Ioſue ſecundo capite, quòd Hebræos exploratũ miſſos ab imminẽti periculo eripuit, ſe, ſuoſque ab internecione vindicauit. Obſtetrices Ægyptiorum an non ob conſeruatos, contra Regis Ægypti acerbiſsimum mandatum, Iudæorum infantes, ampliſsimas opes conſecutæ ſunt? Romani etiam veteres, omnium gentium victores non aliam ob cauſam, vt elegãter D. Auguſtinus docet,tanta fortunæ proſperitate vſi ſunt,ac ad tantam imperij amplitudinem peruenerunt, vt dominium orbis terrarum ſibi ſubiecerint, quàm quòd iuſtitiam præ cæteris gentibus coluerint; ac ſeſe omnium

maximè in operibus strenuis exercuerint. Obiiciet tertiò aliquis hunc timorem in genere bonorum collocari non posse, qui enim peccatum ob pœnam inferni detestatur; plùs illam odit, quàm peccatũ, propter quod enim vnumquodq; tale & illud magis tale (iuxta tritum ac vulgare Philosophorum principis pronunciatum.) At omne odium præter ordinem est peccatum. Sed huic quoque obiectioni, quę plus negotij & difficultatis facessere videtur, satisfieri facilè potest. Duobus enim modis contingere potest, vt aliquis timore pœnę peccatum fugiat. Primo fieri potest, vt aliquis principaliter ob pœnam fugiat peccatum, ita, vt si pœnam imminere non conspiceret à peccando non desisteret, & hic timor malus est; est enim contra ordinem, nec voluntatem peccandi excludit. Alio modo, potest quis fugere peccatum occasionaliter, solùm ratione pœnæ, principaliter ratione peccati, & hic timor bonus est; naturale enim est, appetere & ambire commoda & fugere perniciosa, qui quidem timor tantùm abest, vt sit peccatum, vt secũdùm doctrinam Concilij Tridentini, sit donum Dei, charitatem & per-
fectam

fectam pœnitētiam inducens. Quam rem pulchrè explicat D. Augustinus exemplo setæ. Sicut seta, inquit, non est sufficiens ad consuendum frusta corij, sed est accommoda ad inducēdum filum, quod intrans fores excludit setam, sic timor seruilis nō est sufficiens ad amicitiam inter Deum & nos conglutinandam, inseruit tamen charitati inducēdæ. Ac videant, quæso, Hæretici, quàm dispar sit Theologorum, hac de re doctrina: nam quem ipsi timorem seruilem, vt peccatum execrātur, eum Theologi, cum Sacramento ad salutem sufficere arbitrantur, inest enim diuinis Sacramentis tanta vis, vt communi Theologorum confessione receptum est, vt ex attritis contritos nos reddant. Agè verò an nō sacram confessionem è Sacramentorum numero sustulit, & tanquàm rem inanem ac inutilem abiecit. At rem tāquàm è summis Reipublicæ Christianæ Antistibus cōfictam, & non à Christo institutam Lutherum reiecisse dicent. Scio equidem Lutheranos omni studio ac animi contentione pugnare; confessionem esse commentum humanum, quam ego cōtentionem, cùm alterius loci sit libenter declinabo, vt ta-

men vel leuiter rem attingam, quàm falsa sit hæreticorũ sententia, ex perpetuo confessionis vsu firmissimè cõprobatur. Cùm enim semper in Ecclesia in vsu fuerit, neq; quando aliquando incęperit legatur, manifestum fit, eam non ab homine ortum suum duxisse, sed à Deo originem traxisse. Aut igitur confessionem diuinitùs institutam nobiscum cõfiteantur, aut primam Ecclesię institutionem edoceant; quod facere nullo modo poterunt. Nam quòd quidam dicunt, Innocentium huius instituti fuisse authorem ob Extrauagantem, (omnis vtriusq; sexus) multùm falluntur, longè enim antè innumeri Patres, qui Innocentium Pontificem multis ætatibus pręcesserunt, & proximè ad tempora Apostolorum accesserunt, honorificam Confessionis mentionem fecerunt. Quod cõfirmant etiam sacra Concilia Oecumenica, quorum definitionibus, cùm in fide, & moribus errare non posint, iurè stare ac acquiescere debemus, quæ confessionem inter Sacramenta numerârunt. Sufficere hæc deberent, quæ pro hac re confirmanda adducta sunt, sed quoniam cum iis mihi nęgotium est, qui nihil præter scripturas

ras recipiant, hanc pugnam non detrectabo, ac Scripturis cum ipsis concertabo. Legitur enim Actorum 19. multos credentiũ abiecisse se ad pedes Apostolorũ confitentes & annuntiantes actus suos: & Iacobi quinto habetur cõfitemini alterutrum peccata vestra. Præclara sunt hæc testimonia, prẹsertim si Patrum expositiones, quẹ multum lucis & splendoris his locis afferunt coniungantur. Totius tamen huius controuersiæ caput & basis, est locus ille apud Matthẹũ 18. c. Quodcunq; solueritis super terram erit solutum in cœlis &c. Et dato, quòd cõfessio auricularis inde apertè non colligatur, euidenter certè colligitur, peccatorum enarrationem Sacerdoti debito faciendam, quocunque tandem id fiat modo. Videmus enim in humanis eo ipso, quo alicui aliqua potestas confertur, ipso facto quosdam, in quos potestas illa exerceatur, subiici; haud secus in diuinis philosophandum est. Vnde cùm in illo loco potestatem summã, quam à Patre cœlesti Christus acceperat Apostolis suis reliquerit, iudicesque constituerit, manifestò cõuincitur aliquos ipsis subiectos, nisi cõcedere velimus, inanẽ ac sine effectu Chri-

ſtum hanc poteſtatem eſſe voluiſſe, quod concedere abſurdiſsimum eſt. Deus enim & natura ſuperfluum fugiunt, vt ſcribit Ariſtoteles. Porrò cũ Iudex ignorata cauſâ ſententiam ferre non poſsit; niſi enim penitus rem introſpiciat, quem abſoluat, aut quem damnet expedire ſe non poterit, timendumque erit ne innocens pœnas luat, reus verò liber dimittatur. Quòd ſi ſic ſe res habet in humanis, quantò magis hoc neceſſarium erit in iudicio illo altiſsimo ac planè diuino, vt ſacerdoti ſingula crimina exponantur; cùm non de capitis periculo, ſed de æterna beatitudine aut perpetuo interitu agatur. Elabi quidem ex iudicio humano reus facilè poteſt, eò quòd iudex falli poſsit, quòd hîc vſu venire nullo modo poteſt. Sacerdos namque Dei locum tenet, vnde qui ſacerdoti imponere cogitat ipſum Deum, qui nec fallere nec falli poteſt, decipere velle videtur. Quarè qui putant non omnia crimina eſſe enumeranda, quæ mediocri inueſtigatione adhibita menti occurrunt, grauiter peccant, nec quantum diſcriminis inter confeſsionem ſacramentalem & iudicialem interſit perſpiciunt. In hoc enim differt ſacramen-

cramentalis à iuridiciali, quod Iudex in foro externo non intendit nisi malefactorum vindictam, & ideò illud solùm crimē per tormenta & quæstiones indagatur, de quo supplicium summendum est. Sacramentalis autem confessionis finis est, reconciliatio amicitiæ diuinæ, & hominis emendatio; quod nemo assequi potest, nisi quis omnia sua peccata, quãuis occultissima, quæ exploratis morali aliqua industria, conscientiæ latebris in mentē veniũt detegat. Deus enim non remittit, vnũ sine alio, cùm non possit eōdē tempore quempiam amore & odio prosequi. Nihil igitur est omittendum, aut diuinæ misericordiæ eo modo, quo hæretici volunt relinquendum. Grauiùs etiam errãt, qui Deo solùm confitentur, nullum enim peccatum remittitur, iuxta legem communem, nisi in ordine ad claues Ecclesiæ. Vnde qui hoc asserunt, clauium potestatem omninò negant, neque quid sibi illa verba velint; quęcunq; solueritis super terram erunt soluta & in cœlo: &, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo. Quamuis enim Deus, per solum internum cordis dolorem, nullo habito Sacramenti respe-

ctu, ſecundùm potentiam ſuam abſolutam in gratiam recipere nos poſsit, vt in ſtatu naturæ & veteris legis factitauit, in ſtatu tamen Euangelij iis ſolùm ad amicitiam Dei patet aditus, qui ſcelera & animi labes ſacerdoti diligẽter ac fideliter enarrant, vel de peccatis contriti proponunt firmiter ſe id facturos. Quos rectè reprehendit Auguſtinus in ſermonibus ad coniugatos ſermone 55. ita ſcribens: nemo dicat ſibi, occultè ago pœnitentiam apud Deum, nouit Deus qui mihi ignoſcit, quæ in corde ago; ergo ſine cauſa claues datæ ſunt Eccleſiæ Dei? fruſtramus Euangelium DEI, fruſtramus verbum DEI, promittimus nobis quod ille negat, nónne nos decipimus? ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolueritis in terra erunt ſoluta in cœlo? Quibus verbis apertè docet neceſſariam eſſe ſacerdotis abſolutionem & non ſufficere, vt ſecretò reus Deo confiteatur ſi autem neceſſaria eſt abſolutio ſacerdotis, peccatorum etiam confeſsio erit neceſſaria. Quod diuus Ambroſius non obſcurè docuit, ſcribens in hunc modum: non poteſt, quis iuſtificari à peccato niſi confeſſus fuerit peccatum. Omnes igitur qui mortifero

tifero ſcelere premuntur confeſsionis Sacramento ad ſpiritualem vitam reuocandi abditiſsimæque animi latebræ patefaciendæ ſunt. Quod eleganti ſimilitudine morborum oſtenditur: ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico ſignificare, fieri non poteſt, vt ſalutaris medicina à Medico adhibeatur. Nec certè peccatorum omnium confeſsio impoſsibilis, aut conſcientię carnificina exiſtimanda eſt, vt garriunt Lutherani, ea enim tantùm peccata confeſsione expianda ſunt, quæ mediocri cura adhibita in memoriã reuocãtur, tantumque vnuſquiſq; ſtudij & operę in excutienda conſcientia adhibere debet, quantum in alia re graui poneret. Vt autem de Satisfactione aliquid dicamus; cui eſt inauditũ, eam omnes Lutheranos, tanquàm inuentum Pontificium ad indulgẽtiarum quæſtum commodè inſtitutum grauiſsimè deteſtari. Arbitrantur enim remiſſa culpâ Deum omninò placatum, ac nihil proinde nobis exoluendum reſtare; quod ſanè falſiſsimum eſſe facilè intelligunt ij, qui vel mediocriter in diuinarum ſcripturarum lectione ſunt verſati. Legimus enim populum Iudaicũ, cùm grauiſsimè Deum

offendisset, Moysis tamen precibus & intercessione in gratiam cum Deo rediisse. Sed hoc non impunè tulit, terram enim promissionis attingere non potuit. Moysi quoque & Aaroni Iudęorum ducibus peccatum diffidētię ad aquas contradictionis commissum mortē attulisse, scriptura testatur, quos tamē cœlesti beatitudine perfrui nulli, qui syncerè de religione Christiana sentiat, dubium aut obscurum esse potest. Quàm grauiter etiā psalmista Dauid à Deo ob admissa adulterij & homicidij crimina numeratumq; populum post restitutam recuperatamque pristinam diuinam amicitiam punitus fuerit, historia Regum id planum facit. Tanta enim strage & clade ira Dei in populum Regi Dauidi subiectum desæuiuit, vt Rex populi vicem ac miseriam dolens grauem illā Dei indignationem capitis sui periculo à ceruicibus subditorū auertere ac amoliri voluerit. Ego sum qui peccaui, inquiens, ego iniquè egi, vertatur, obsecro, manus tua contra me & contra domum patris mei, nec tamen priùs iram Dei placare potuit, quàm ex Prophetæ Gad iussu altari erecto, sacrificioque recompensationis loco Deo

oblato.

oblato. Prętereà loca illa in quibus peccata Eleemosynis redimere & pœnitentiæ opera exercere iubemur, an non hoc euidenter concludunt? non enim Eleemosynæ ad maculam delendam valent, sed solùm ad pœnam tollendam. Maneat igitur firmum, condonatà veniâ Deo vlteriùs ob iniuriam illatam satisfaciẽdum esse, quod exemplo humano declaratur; fieri enim potest, vt quis inimico recõcilietur, iniurię tamen recompensationem requirat. Addo & illud, sanctissimos antiquissimosq; Patres, Tertullianum, Cyprianum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, ac celeberrima augustissimaq; Concilia, Florentinum & Tridentinum, Satisfactionem clarissimè docuisse, quorum certè authoritatem, si sapimus, pluris, quàm omnium Hæreticorum facere debemus. Explicanda paulò copiosiùs mihi esset tota de Satisfactione doctrina, ac tela Lutheranorũ retundenda, sed quoniam de hac materia commodè tractari non potest, quin vicinę ac coniunctæ de purgatorio & Indulgentiis difficultates inuoluantur ideò in præsentia lõgiorem disputationem instituere supersedebo. Vt itaque in incepta materia

progre-

progrediar, quem præterit Lutherum Sacerdotium Christianum (cuius tanta est dignitas, vt in terris nihil altius, sublimius diuiniusque cogitari possit) labefactasse ac prorsus euertisse, cùm sacros ordines, fabulam & commentum humanum esse, docuit; cùm sine vllo delectu ac discrimine viris & mulieribus omnibusque laicis ex diuina institutione concionandi ac Sacramenta administrandi munus conuenire scripsit. Sed parumper Lutherũ ipsum, vt maior fides nobis habeatur, hac de re loquentem audiamus. Agitè, inquit, in libro de captuitate Babilonica, vos egregij sacerdotes, producite nobis vnum Iota, aut vnum apicem ex vniuersis Euangeliis, aut epistolis Apostolorum, vos esse aut dici debere sacerdotes præ cæteris, aut ordinem vestrum esse sacerdotium diuersum à communi sacerdotio Christianorũ, quin producitis? Audetis ne, surdę imagines? ite ad Parisienses, quæso, qui pro scripturæ testimonio ponant suum magistrale sentimentum: Hæc propositio est hæretica & ordini sacerdotali contumeliosa, tum hoc sentimentum esto vobis principium fidei. Vnde ergo habemus vos idolorum sacerdotes?

Lutherus in li. de captiu. Babilonica & Illyricus in Apologia contra Iust. Menium.

dotes?cur nomen commune auffertis nobis & vobis arrogatis? Nónne ſacrilegi eſtis & blaſphemi in vniuerſam Eccleſiam, qui nomine communi & ſancto violenter, aliis ablato abutimini ad Tyrannidem, & pompam auaritiæ & libidinis veſtræ. Iterum dico, Idola mũdi, vnde vos habemus ſacerdotes, ꝓferte pro vobis teſtimoniũ, vos onera intollerabilia orbis terrarum, ſacerdotes nõ eſtis, & ſacerdotes voſipſos appellatis: videte quid mereamini, vos inſignes raptores & hypocritæ. DEVS immortalis, quæ portẽta verborum ſunt iſta, quis eſt à communi hominum ſenſu tàm alienus, qui conuicia & contumelias, quas furia illa ac fax in Eccleſiam Catholicam indigniſsimè iacit, audiens non commoueatur? Quid aliud agit Lutherus, cùm Epiſcopos, ac Eccleſiæ Antiſtites Tyrannidis accuſat, ac impuris maledictis onerat, quã vt eos in odium inuidiamq; omnium abducat, tumultus ac bella ciuilia concitet? Quis tantam arrogantiam ac maledicendi libidinem ęquo animo ferat? Iota vnum homo nefarius ac impius religionis conſpurcator ad ſtabiliendum corroborandumque externum ſacerdotium proferrĩ deſide-

desiderat, cùm sacræ literæ plenæ sint testimoniorum hanc veritatem astruentium Apostolum audiant Lutherani priore ad Corint. ita scribentem: diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autem Dominus, qui operatur omnia in omnibus, vnicuiq; datur manifestatio spiritûs ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij ꝓphetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. In quo loco vas illud electionis D. Paulus diuersitatem statuum & functionum expresse docuit, idque eleganti similitudine corporis humani confirmauit. Vt enim in corpore humano partes sunt Hetherogeneę officiis omninò distinctæ, ita, vt vna non sit alia, neque vna obeat munus alterius, sic in corpore mystico Ecclesiæ, quę ex visibili omnium credentium cætu conflatur, varia licet cernere membra muneribus & actionibus discrepantia.

Quô

Quô igitur Lutheranorum error ſpectat, aliô, quàm vt decẽtiſsimus pulcherrimuſque Eccleſiaſticę Hierarchiæ ordo perturbetur, & plùs quàm Anaxagoricum confuſionis chaos in Rempublicam Chriſtianã inuehatur. Sed reſponſionem, quæſo, Lutheranorum, qua ſeſe expedire ac explicare ſtudẽt videamus. Aiunt ſacerdotes quidem ex inſtituto diuino eſſe omnes, ſed nõ omnibus incumbere miniſterium exequi ſed certi à plebe eligendi ſunt, vt vitetur confuſiô. Miniſtri igitur ſecundùm illos ſunt omnes, quia gratiam eandem habent omnes, excutionẽtamen miniſterij, quam operationem D. Paulus appellat non habent omnes, ſed ſoli electi à populo. Sed quantùm à D. Pauli doctrina diſcedant facilè quiuis cognoſcere poteſt. Aduerſantur enim primùm diuo Paulo in eo, quòd operationum diuerſitatem, quàm gẽtium doctor in Deum refert, ipſi imperitæ multitudini acceptum referant: impingunt etiam grauiter in illo, quòd gratiarum vnitatem in omnibus eandem aſſerant, cùm tamen contrarium ex ſupracitatis D. Pauli verbis fiat perſpicuum. Quod confirmatur etiam ex Epiſtola ad Epheſios, in qua Apoſto-

Apostolus orbis terrarum conseruatorem Republica restituta, fractis contusisq; hostium infernalium viribus, mortalib⁹ carceribus, metuq; suppliciorum sempiterno liberatis, in cœlum profectum varia dona hominibus reliquisse testatur; & paulò pòst subdit, & ipse dedit quosdam Apostolos, quosdã Prophetas alios verò Euangelistas, alios autẽ Pastores & Doctores ad cõsummationem sanctorũ, in opus ministerij, in ædificationem sanctorũ corporis Christi. Videant hîc concionum procellæ, quàm perspicuè D. Paulo, de quò tàm magnificè sentire videri volunt, quem in omnibus à partibus suis stare tantoperè prædicant, contradicant; cùm expressè fateatur diuina institutione non omnes esse Apostolos ac Pastores. Quid autem aliud per Apostolos Pastores quàm Sacerdos inteligimus? negare quidem poterunt Lutherani nomen Sacerdotij, rem tamen nulla ratione; non enim aliud sunt Sacerdotes, quàm diuinorum mysteriorum dispẽsatores, quales Christi discipulos & Apostolos fuisse in dubium apud Christianos cadere non pòtest. Admittãt igitur necesse est distinctum esse sacerdotum ordinem, eumq; à Christo institu-

institutum & magnis prærogatiuis dotatum, nisi concedere velint, omnes, qui se Christi Apostolorumq; tēporibus, desertis reiectisque falsis, inanibusque superstitionibus Christianæ religioni se addixerunt, Apostolos ac Pastores fuisse; quod nullus, nisi amens sit, cōcedet. Atq; vt ipsorū insignis impudētia atq; audacia manifestò cōprehēdatur, quęro ab ipsis, quibus hęc verba (Accipite Spiritū sanctū, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorū retinueritis retenta sunt; & illa: Hæc facite in meā commemorationem) dicta fuerint? An Apostolis & Septuaginta duobus discipulis, quorum hi simplicium Sacerdotum personam, illi Episcoporum ac Ecclesiæ Prælatorum partes referebant, hæc dicta fuisse negare poterunt? Non igitur omnes cuiuscunque statûs, conditionis & sexûs homines diuinorum Sacramentorum ministri esse poterunt, sed qui Apostolis & Christi discipulis succedunt, quique à Catholicis Episcopis ritè ordinantur sacerdotes. Quid enim magis est absurdum ac à ratione alienum, quàm asserere, quoscunque sartores, fartores, lippos ac tonsores à fæce vulgi electos Sacramēta tractare pos-

 se.

se. An non hoc est sacra mysteria prophanare,& margaritas ante porcos abiicere? Sacramenta veteris legis quæ D. Paulo teste, infirma erant mundi elementa,nó nisi à DEO & Synagoga electis administrari poterant; vos altissima nobilissimaque nouæ legis, Pœnitentiæ præsertim & Altaris sacra symbola, à quibusuis leuissimis abiectissimisque hominibus, ab aratro, & officina vocatis tractari;vos quemuis subulcum aut cerdonem à peccatis absoluere, & sanctissimum Christi corpus conficere posse,dicere audetis ? In veteri lege Deus non omnibus eadem officia conuenire voluit, verùm hos Sacerdotes , illos Cantores,alios Ianitores, ita suis distincta ministeriis,vt quicunq; extern⁹ accessisset, quantũuis Iudæus, morti fuisset obnoxius. Quo pacto igitur Christianus populus simplex esse poterit,cùm in Iudaico tanta fuerit conditionum varietas? An Moysi legem Christi Euangelio præferetis? dũ ordinatũ & distinctum habuerit populũ,Christiano populo confuso permanente. Hócne vobis Christiana Republica, quæ Synagogã longè dignitate antecellit, hoc legislatore Christo dignum videtur? númne omnes

secun-

ſecundũ vos Apoſtoli, & deſignati ſeptuaginta duo diſcipuli? Quòd ſi omnes ex æquo ſunt ſacerdotes, cur Chriſtus duodecim ſolùm Apoſtolos, & ſeptuaginta duos diſcipulos, quos religioni ac rebus ſacris præeſſe voluit, elegit? cur in Exordio naſcentis Eccleſiæ in tanta miniſtrorum paucitate non omnibus, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperunt, Sacramenta adminiſtrare licuit, cùm tamen ſtatus illius temporis maximè hoc poſtulauerit? cur Epiſcopi Presbyteri, Diaconi paſsim ꝑ Eccleſias ab Apoſtolis fuerunt inſtituti? Chriſtianũ populum ſimplicem opportere eſſe omneſque Chriſtianos pares aiunt ita ne? nulli igitur Reges, nulli Principes ac Magiſtraſtus. Cur igitur Chriſtus Cæſari tributum ſolui iuſsit? cur D.Paulus Principes ac magiſtratus non ſine cauſa timendos docuit? quid hoc eſt aliud, quàm furioſum populum audaciâ aduersùs leges munire, claſſicum ad bella ciuilia excitanda, ad Principes, Magiſtratꝰ pellendos, Reges delendos, canere? Sinite me hoc loco prætertire miſerabilis illius temporis memoriam, cùm grauis ac periculoſa ad extinguendam nobilitatẽ conſpiratio iniretur, cùm ſubditi

pesſimo exemplo, funeſtiori exitu Principibus exitium machinarentur, cùm bello ciuili Germania arderet, cùm deniq; vltra cẽtum millia audacisſimorum hominum pecudũ more cæderentur. Sinite, inquam, me præterire illius infœlicisſimi temporis memoriã (non enim hęc ſine graui dolore referri poſſunt) quis ignorat his & ſimilibus verbis ruſticos excitatos, & immoderatæ Chriſtianæ libertatis præconiis erectos arma aduersùs Dominos ſumpſiſſe? Quòd ſi Deus in externa ac politica Republica ordinem eſſe voluit, quãtò magis hoc de ſpirituali politia dicẽdum eſt; cùm in Euangelio legatur expreſſè, Dominum ſuper familiam ſuam, nimirùm Eccleſiam, poſuiſſe ſeruos qui illam regerent, regere autem & gubernare Pręlatorum eſt? Chriſtianum populũ ſimplicem eſſe aiunt, ſcilicet, D. Paulus hoc ignorauit; expendant ęquis animis verba illa D. Pauli: Si quis cõfidit Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterũ apud ſe, quia ſicut & ipſe Chriſti eſt ita & nos, & ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationẽ non in deſtructionem non erubeſcã. Sumus igitur pares in hoc, quia omnes

omnes Christiani Christi sumus, sed Apostolus in alia potestate se nobis præfert, vt confundat rusticam illam simplicitatem Hæreticorum. Si personarum nulla est differētia inter Christianos, quomodò habet diuus Paulus potestatem prę cęteris? quam quidem potestatē non à populo sed à Domino, vt ipse fatetur, accepit. In Epistola quoque secunda ad Cor. cap. 11. sic gloriatur; si Hebræi sunt, & ego, si Israëlitæ sunt, & ego, si ministri Christi sunt, & ego. Audiāt ipsum Christum, qui Apostolos, tanquam clarissima lumina in orbis terrarum theatro constituta, fulgere voluit: vos estis lux mundi, ait apud Matthæum 5. cap. Magna igitur est Ecclesiæ Procerum dignitas, ac tantùm differunt à reliquis, quantū duces à militibus, pastores à gregibus. Et si Apostolorū nō fuit omnium ęqualis dignitas, quo ore dicere audent in Ecclesia omnes fideles esse conditione pares ac eiusdem ordinis? Quis enim nescit D. Petro ob prę clarā illā Christi humanitatis & diuinitatis confessionem claues regni cœlorū traditas, gubernaculum Reipublicæ Christianę cōmissum, ipsumq; huius visibilis Christianorum congregationis caput esse cōstitu-

tum,confitetur etiã D.Paulus apertè Apostolos inæqualis sortis & cõditionis fuisse ad Galathas 2. ca. his verbis: Ascendi Hierosolymam secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus, seorsim autem iis qui videbãtur maiores esse: & clariùs infrà;cùm cognouissent gratiam quæ data est mihi Iacobus & Cephas & Ioannes,qui videbãtur columnæ esse,dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis.Ex quibus locis duo insignes Hæreticorum contra Ecclesiasticam Hierarchiam & Monarchiam errores conuelluntur. Neq; certè dicere possunt, hanc diuersitatem & inæqualitatem potestatum in Apostolis conquieuisse,ac iis è medio sublatis, concidisse,non enim Christus super Apostolos solùm suam ædificauit Ecclesiam,neque institutum suum regimen ac politiam vitã Apostolorum terminari ac finiri voluit, sed perpetuò vsque ad mundi finem perseuerare. Non igitur Ecclesia deserta est, aut summa illa potestas, quæ in Apostolis fuit intercidit,quòd Petrum nõ videamus,Paulum non habeamus;pro Patribus enim,iuxta Psalmũ,nati sunt filij, qui principes super omnem terram

ram constituti sunt. Ac certè rem sic se habere, manifestum est: successerunt enim Apostolis semper alij, qui ipsorum officiũ dignitatemq; sustinuerunt, paremq; cum ipsis authoritatem obtinuerunt. Constat enim Clemētem primum pontificiam dignitatem adeptum ac D. Petro successisse, multos prætereà Episcopos à D. Petro & Paulo aliisque Apostolis ordinatos tùm Ecclesiastici scriptores fidem faciũt, tùm sacræ paginæ demonstrant. Et, vt nihil intactũ omittamus, edoceant nos Aristarchi illi, qui nihil, quod sacris literis expressum nō sit, recipiunt, vnde probent ministrorũ electionē ad populum pertinere; nos certè contrarium tàm in veteri quàm in noua lege firmissimis testimoniis comprobare possumus. Nam, vt de sacerdotibus veteris testamenti taceam, & Apostoli qui Episcoporũ & septuaginta duo discipuli, qui simplicium Sacerdotũ vices gerebant à Christo summo Sacerdote sunt institui, ab Apostolis Linus, Cletus, Titus, Timotheus, multiq; alij Presbyteri & Diaconi per manuum impositionem, quæ ordinationis Typus, fuit ordinati sunt. Quę quidem manuum impositionis consuetudo à Christo

& Apoſtolis profecta & ſemper ab omnibus tàm Græcis quàm latinis obſeruata ad hæc vsq; tēpora noſtra dimanauit. D. Paulus etiam Sacerdotes eligendi poteſtatē nō penes principes ſeculares, aut populum, ſed penes Epiſcopos eſſe voluit. Tito enim commendauit, vt manus imponeret ac ſacerdotes per Eccleſias conſtitueret. Concluſum itaque ſit, eſſe in Eccleſia aliquod externū, & viſibile Sacerdotium; Sacerdotumq; electionem nō ad ſeculares Principes ac perſonas ꝓfanas, ſed ad ſpirituales Reipublicæ Chriſtianæ proceres pertinere. Quod quidem ita eſt clarum, vt nōnulli Lutheranæ factionis Principes veritate conuicti eos ſolùm recipiant ac ad honores prouehāt, qui ab Epiſcopis Catholicis ſunt ordinati. Hæc breuiter pro defenſione Sacerdotij externi dicta ſufficiant; ad Sacramentum Baptiſmi & Euchariſtię feſtinat oratio, quæ quàm ſint neceſſaria in propatulo eſt, expreſſè enim ſcriptura docet fidem cum Baptiſmo ad ſalutem eſſe neceſſariam; ſic de Sacramento Euchariſtiæ legitur, niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis. His tamen

non

non impedientibus, Lutherus auſus fuit ſcribere ea ſine periculo aliquo negligi ac omitti poſſe, nec de ijs vllum præceptum nos obligans extare. Ac certè Lutherum ſic ſenſiſſe, probatur primò ex illo loco, quem in principio Orationis adduxi, in quo ait per fidem totam legem impleri, & hominem Chriſtianum ſola fide ab omnibus aliis liberari aſſerit. Non igitur hæc duo Sacraméta nobis ſunt neceſſaria, aliôquin per fidem nô tota lex impleretur, ſed oporteret duorum Sacramentorum vſum ad fidem accedere, quod cum Lutheri doctrina conſiſtere non poteſt. In præfatione noui Teſtamenti expreſſè ſcribit, nô eſſe in Euangelio (fide excepta) præceptum aliquod diuinum. Vndè ad Baptiſmum & Euchariſtiam nullus tenebitur, ſed quicunque, iis neglectis, ex hac vita ſecurè in cœlũ euolabit: à negatione enim Vniuerſalis propoſitionis ad negationẽ omnium ſingularium (vt non ignorant Logices periti) firmiſsimum ducitur argumentum; & qui genus negat, etiam ſpecies ſub genere contentas. Omitto hîc probra & graues Hæreticorum contra Confirmationem & extremam Vnctionem contumelias; præ-

tereo breuitatis causâ, quàm multa Lutherus impudenter ac cõtumeliosè de matrimonio scripserit, quod cùm Sardanapalicę ipsius cõciones, tũ alia scripta quamplurima declarãt. In Tomo de coniugio, docet fœminę intregrũ esse, maritum, si ob ægritudinem aut aliã corporis imbecillitatem non sit idoneus reddendo debito, compellare ne impedire velit quò minùs cum ipsius fratre, aut alio propinquo clàm matrimonium contrahere, ac libidines suas explere possit. Cui petitioni, si maritus nõ assentiatur, nefas nõ arbitratur, si fœmina fugâ se ab ipsius consuetudine subducat ac alibi, primo neglecto, cum alio matrimonio iungatur. Quo quidem ex fonte illud iam profluxit, vt in multis locis in Lutheranismo (vt graues authores referunt) frater germanus superstitis sui fratris coniugem Herodis instar in vxorem asciscat, atq; vna fœmina plures maritos, vnus maritus plures vxores, Turcarum more, habeat. Habet etiam Lutheri disciplina vt ab acerrimo religionis Catholicę propugnatore D. Friderico Staphylo viro & longiori vita, & immortali laude dignissimo publicis literis posteritati consecratis memoriæ

Lege Lutheri & Melanchtonis epistolas & consilia per literas data.

Lutherus in concione de coniugio.

riæ proditum eſt; ſi non vult vxor veniat ancilla. An non hoc eſt matrimonium infringere, eneruare, firmiſsimum eius vinculum diſſoluere, ſcortationibus ac adulteriis feneſtram aperire? Hócne eſt, Lutherani, Euangeliũ in tenebras protruſum in lucem reuocaſſe? hócne eſt ſcripturarũ claues inueniſſe? D. Paulus matrimonium per mortem ſolùm diſſolui ſcriptum reliquit, humani generis Seruator in ſola fornicationis cauſa concedit ſeiunctionem, ita tamen vt nulli vtroq; ſuperſtite liceat alteri copulari, quę cum Lutherano Euangelio è diametro pugnant. Deliberandum igitur nobis erit, num à Chriſti Euangelio Pauliq; doctrina diſcedere velimus, an Lutheri hominis profligatiſsimi ac Hæreſiarchę peſtilentiſsimi impia dogmata abiicere velimus. Sed neminem credo mente ita deſtitutum, qui nõ potiùs vitam ac ſanguinem velit profundere, quàm vel latum vnguem à ſalutari Chriſti Euangelio diſcedere & malè ſano Lutheri cerebro adhærere. Tot tamque inauditis conuiciis in matrimonium homo veſanus debacchatus, non acquieuit modò ſed ſacrum coniugium è diuinorum Symbolorũ numero
nefario

nifario conatu expunxit. Sit igitur, inquit, matrimonium figura Christi & Ecclesiæ, sacramentum autem non diuinitùs institutum, sed ab hominibus tàm ignorantiâ rei, quàm verbi adductis. Quem quidem errorē non solùm Lutherani susceperunt, sed Caluiniani etiam amplexi sunt. Caluinus enim vt Lutheranis gratificaretur insigni mendatio conficto sententię Lutheri subscripsit his verbis: Postremum est matrimonium, quod vt à Deo institutum fatentur omnes, ita pro Sacramēto datum, nemo vsque ad Gregorij tempora viderat. Proh Deum immortalem, in quæ tempora incidimus hîc sunt audaces quidam homines, qui non solùm conspirantem totius terrarum orbis cōsensum negligunt, sed scripturis etiam cōtraria spargunt; eos tamen tanquam Vates de cœlo delapsos suspicim', colimus, veneramur. Quis enim ignorat quàm apertè sint hac de re scripturæ testimonia? quid clarius D. Paulus edocere nos potuit, quàm cùm ad Ephesios in hunc modum de matrimonio scripsit: Sacramentum hoc magnum est, dico autē in Christo & Ecclesia? En D. Paulus Sacramētum matrimoniū appellat; qua fronte negare

Caluinus in libro. 4. institutionis Christianę religionis cap. 19.

gare id audent hęretici?Sed vim huius loci perfringere conantes Lutherani reſpondent, vbi Latinè Sacramentum legitur in greco textu Myſterium haberi,ac proindè hunc locum parùm noſtræ cauſę inſeruire aiunt; verùm inanis planè & friuola eſt hęc reſponſio.Idem eſt enim Myſterium & Sacramẽtum, quod Grecæ linguæ periti non ignorãt.Myſterium enim ſi notationẽ nominis inſpiciamus idẽ ſonat quod ſacrum ſecretũ; quæ ſignificatio Sacramento etiã communis eſt,quod aliquot exemplis è ſacra pagina petitis demõſtrari poteſt. Nam vbi Græcè habetur:Myſteriũ regis abſcondere bonum eſt, Interpres reddidit latinè, Sacramentum abſcondere regis bonum eſt;idem videre eſt ad Epheſios 1. vt notum faceret Myſterium ſuæ voluntatis, Latina tranſlatio habet Sacramentum. Similiter Sapientiæ ſecundo & Apocalipſis.17. Sed quid de nomine laboramus cùm res intelligatur. Quòd ſi Sacramenti etiam naturam perpendamus reperiemus profectò iure optimo matrimonium in Sacramentorum numero collocari: Sacramentum enim nouæ legis ſignũ eſt rei ſacræ & cauſa eius quod ſignificat effectiua, quæ ratio nõ

minùs

minùs Sacro coniugio quàm cæteris diuinis institutis conuenit. Sed quæret Lutheranus quî fieri poßit vt matrimonium sit nouæ legis Sacramentum, cùm ab initio mundi fuerit, ac hodiè apud infideles permaneat. Cogit me hoc argumentum, vt paulò altiùs rē perpendam, tria enim considerand a sunt in matrimonio; primum quòd sit contractus naturæ in officium propagationis generis humani à Deo institutus, sub qua ratione in statu innocentiæ fuit, sed post grauem illam primorum parentum ruinam medicina etiam & prę sidium esse cepit, ad compescendos indomitos animi motus effrenatasque cupiditates coërcendas, vt rectè docuit Augustinus libro nono super Genesin; vbi ait: vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, honestate nuptiarum rectè excipitur, vt quod sanis posset esse in officium, sit ægrotis in medicinam. In lege noua singulari priuilegio à Christo dotatum est, nam quando nuptias Canæ Galileæ præsentiæ suæ & miraculi splendore illustrauit, tunc virtutem sanctificandi, coniugo contulit. Vnde graui iniuriâ affecerunt VVitenbergenses Theologi gra-

grauissimum præstantissimumq; virum D. Fridericũ Staphylũ scribentes vim Luthero factam, ac nihil tale à quopiam suarum partium ac factionum dictum vel scriptũ, cùm contrarium à viro Clarissimo luculentissimis testimoniis passim ex Lutheri scriptis depromptis cõfirmatum sit. Multas alias Theologis Scholasticis Caluinus imponit calũnias, quas tacitus præterire non possum, nam in illo suo opere de destructione, institutione inquam, religionis Christianæ hæc ait: Matrimonium verò titulo Sacramenti commendatum immundiciem postea & pollutionem & carnales sordes vocare, quã vertiginosa leuitas est. Et paulò pòst, est & altera, inquit, in eorum dogmatibus absurditas, in Sacramento conferri gratiam Spiritus sancti affirmant, coitum tradũt esse Sacramentum, in coitu negant vnquam Spiritum sanctum adesse. O audax facinus, ô impudentiam prædicandam, quis Theologorũ somniauit hoc vnquam? afferant Caluiniani vel vnum alcuius notæ Theologũ qui hoc quod Theologis vniuersis affingunt asseruerit; nam quantùm ad primum attinet Theologi vnanimi consensu fatentur omnes, verum

matri-

matrimonium absque coniunctione carnali consistere, eamque ad essentiam & actum siue perfectionem primam coniugij non pertinere: idque exemplo Iosephi & Diuæ Virginis ostendunt, inter quos verum matrimonium sine carnali copula extitisse certò nobis psuadere D. Matthęus & testari videtur; nisi dicere velimus Diuæ Virgini pudicitiam à Iosepho ereptam eamque carnaliter cognitam, quod fidei & sacris literis prorsus repugnat. Non est igitur carnalis copula Sacramentum, vt falsò imponit Theologis nostris Caluinus, sed perfectio quædam secundaria, siue actus secundus ad integritatem matrimonij faciens. Quòd porrò ait, Theologos Pontificios affirmare actus matrimoniales esse peccatũ, falsum & illud est; quamuis enim pollutio semper corporis interueniat, cõgressus tamen omni culpâ maculaque caret, iuxta illud diui Pauli; Honorabile coniugium & Thorus immaculatus. Vndè concedunt, eos qui non explendę libidinis
Hebr. 13. gratiâ sed procreandorũ liberorum causâ in vtilitatem Ecclesiæ Dei congrediuntur, plurimùm apud Deum mereri. Hunc errorem quem falsò Caluinus Catholicis impin-

impingit antiquorum Hæreticorum, Tatianorum, Encratitarum, Marcioniſtarum & Manichęorum fuit, qui nuptias, tãquam illicitas, prohibuerunt, vt refert Auguſtinus in libro de hęreſib. Huiuſmodi mendaciis ſcatere ſolent libri Euangelicorum, ad rudem & miſeram plebē ſeducendam, omniumque animos à Theologis Catholicis abalienandos; vt rectè ſanè dixeris ad huiuſmodi Euangelicos propriè ſpectare illud Eſaię: poſuimus mendacium in ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Nec certè hæc pernicioſa deliramenta Lutheri propria, ſed multis aliis communia cenſenda ſunt. Quis enim ignorat diſſectas ac diſtractas Hæreticorum noſtræ tempeſtatis circa Sacramenta ſententias? quem præterit, quanta vi & contentione cadmæi illi fratres digladientur. Philippus Melanchton in 1. ad Corinth. Epiſtola cap. 11. duo ſolùm admiſit ſigna ſacramẽtalia Baptiſmum, & Cœnam Domini, reliqua, quæ numerantur, commenta eſſe hominũ docuit; paulò pòſt plura recepit, & ex duob⁹ tria, & tandem quatuor fecit. Itaque quæ priùs tanquàm inuenta humana reiecerat, ac maximo ludibrio habuerat, pòſt, vt im-

mota Dei instituta amplexus & veneratus est. Lutherus de cœna Domini, octo recitat errores Zuinglianorum, Philippus eadem re quinque numerat Lutheranorum: confessionem priuatam peccatorum, cõfessio Augustana aliqua ex parte approbauit, eius tamẽ architectus Philippus ipsam prorsus est execrat⁹. Matthias Illyricus circa Pœnitentiam septem errores in lucem protulit? sed quis omnes dissentientes, ac discrepantes hæreticorum opiniones referat? Dolendum, me hercle, est hæreticos in oppugnãda salutaria subsidia tanto impetu ferri, ac in re tanti momenti tàm hostiliter tùm à seipsis, tùm ab Ecclesia Catholica dissidere. In tanta tamen & inenumerabili repugnãtissimarum opinionum varietate Præco ille Goppingensis, Iacobus Schmidelinus, in cõtradictoriis & pugnantibus conciliandis mirum in modum exercitatus, Lutheranos in fundamẽto & religionis capitibus concordes esse; sed si quæ inter ipsos sunt dissidia, scholasticas velitationes & contentiones esse, scribere audet: cùm luce clarius sit eos, vt turris Babylonicæ ædificatores, inter se conuenire; quod nec ipsi hæretici dissimulare possũt.

De hoc errore accusat Illyric⁹ Vvitenbergens. & Lipsenses Theologos, in scripto cõtra Euangelij corruptelã in sua informatione de quibusdã fidei articulis.

Illyricus enim, Amsdorphius, & Nicolaus Gallus non se de rebus leuibus & friuolis decertare scribunt; asseruntque Melanchtonicos & Adiaphoristas in septem præcipuis articulis à Cõfessione Augustana discessisse. Sed de hoc per transennam satis. Quid verò de votis virginitatis, cœlibatûs, ieiuniis & institutis monasticis dicã? quis nescit eos hæc oĩa Luciano more irridere, explodere ac velut diuinis oraculis & placitis aduersa & Christianę libertati inimica explodere? Grauis fuit quondã Heluidij & Iouiniani error, docẽtium virginitatẽ quo ad meritum, nuptiis parem esse, qui non mediocre Reipub. Christianæ detrimentum attulit. Multi enim hac doctrina persuasi monasteria deseruerunt, ac neglecta votorum religione ad nuptias animũ appulerunt; quem Maiores nostri publicis libris scriptisque ita confutârunt, vt multorum sæculorum obliuione obliterârint. Sed capitalis humani generis inimicus, q nostrûm omnium perennem interitũ inexplebili cupiditate sitit, quiue omnẽ Ecclesiasticam disciplinam ac virtutem conuulsam ac prostratam desiderat, non diu passus est olim damnatam illam hæresin in

Lege Augustinum in libro de hæres. & Hieronymum li. 2. aduersus Iouinianum.

tenebris iacere ac sordibus squalescere, sed per instrumētum suum Lutherum denuò in lucem reuocauit. Atque vtinam ea modestiâ fuisset Lutherus, sed suos antecessores audaciâ ac scelere longè superauit. Ipsi enim hoc solùm docuêre, virginitatem nuptiis non anteponendam, Ipse omnem castæ cœlibisq; vitæ legem sustulit. Illi hominem castè ac purè diuino auxilio viuere posse, non negârunt: Lutherus non minùs mortales se continere posse, ac saliuam nō expuere, in puellarum adolescentumque concione effutiuit. Illi Continentiam tanquàm singularem aliquam virtutem, cui tamen matrimonium dignitate ac merito non cederet laudârunt: Hic virginitatem ac votum continētiæ, tanquam rem execrabilem, abominatus est. In libro de votis monasticis ita scribit; Cœlibatus, virginitas, aureolę, nugæ sunt & mera Satanæ mendacia. Et in libro de coniugali vita volens ostendere impossibile esse seruare virginitatē, hæc ait; sicut in potestate mea nō est, ꝙ sim mas, ita minimè in me sitū est, vt sim sine muliere; & aliquib. interpositis subdit, crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plusquàm præceptū, quod

nos

nos non possumus impedire vel prætermittere, sed perindè necessarium est, & magis necessarium, quàm edere, bibere, purgari, expuere, dormire & vigilare. Hæc Lutherus. Et quoniam non ignorabat vitam doctrinæ consentiētem plurimùm ad mouendum valere; tùm quò faciliùs populo persuaderet, tùm quò commodiùs in Ecclesiæ Proceres, clerum & monachos non sine graui bonorum omnium dolore, crapulæ, auaritiæ, scortationibus, aliisq; Epicureis voluptatibus deditos debaccharetur, caninam illam doctrinam non fuit, contentus verbo & scripturâ docere, sed exemplo confirmare, ac vitâ ipsa exprimere voluit. Difficilimis enim temporibus ac in magno Germaniæ luctu, tanquàm de euerso Pontificio regno, aut mox ruituro triumphans, virginem Deo dicatam, vt similes haberent labra lactucas, incestis sibi nuptiis copulauit. O tempora, ô mores, vbi nam gentium sumus, in qua Republica viuimus. Romani olim natura tātùm duce vtentes in virgines vestales de stupro conuictas grauissimis suppliciis animaduerterunt, easque viuas terræ mandârunt; nostro vero tempore, quo nobis diuini verbi

lux affulſit, iis qui cucullâ abiecta è clau-ſtris ſacrorum collegiorum aufugiunt, receptui locus datur, præmia ac honores ꝑponuntur. An fidem Deo datam fallere ſit Euangelicum, ac homine diuino numine afflato, qualẽ ſe iactauit Lutherus, dignũ, aliorum eſto iudiciũ; egò vt de me ſolùm quid ſentiam dicam, nec capere poſſum nec induci vt hoc credam; cùm totius vniuerſitatis Opifex ea quæ religioſè ſibi promiſſa ſunt cuſtodiri ac obſeruari præcipiat; vouete, inquit, & reddite, alibi etiam ne tardãdum quidem votum ſemel emiſſum mandat. Sed vt ad propoſitum reuertar non ſolùm Lutherani in aciem deſcendunt contra Virginitatem, ſed Caluiniani etiam coniunctis armis ac viribus eam inuadunt ac oppugnant. Caluinus enim in ſuo opere de inſtitutione, dixerim potiùs deſtructione, Chriſtianæ libr. ſecundo capit. tertio. interpretans præceptum illud, nõ mœchaberis, hęc ait: Hac lege conditus eſt homo, vt ſolitariam vitam non agat, ſed adiuncto ſibi ſubſidio vtatur, deindè ex peccati maledictione in hanc neceſsitatem magis adductus eſt. Et cùm docuiſſet, meliùs eſſe nubere quàm cum

Caluinus libro 2. ca. 3. parag. 42.

ſcorto

ſcorto coire in ſacerdotes, & monachos perpetuam Deo caſtitatem promittentes inuehens, ſic inquit: Noſtri verò ſacrifici, monachi & moniales, omiſſa huiuſmodi cõſideratione, cœlibatui pares ſe eſſe confidunt. Quo enim oraculo edocti ſunt, cõſtaturam ſibi tota vitâ caſtitatem in cuius finem eam vouerint: audiunt de vniuerſali hominum conditione Dei vocem, non eſt bonum homini eſſe ſolum, intelligũt, atq; vtinam non ſentirent peccatum in nobis manens non carere acerrimis aculeis, illam generalem vocationem, qua fiduciâ audét excutere per totam vitam, cùm donum continentiæ ſæpiùs in certũ tempus, prout opportunitas requirit concedatur. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis. An non vos pudet multis antè ſæculis à priſcis Patribus, Origene, Hieronymo, Auguſtino damnata dogmata in mediũ afferre? Sed reſpõdebunt hęretici ſe de his quæ acta ſunt parùm curare, Patres veteres imperitos, rudes, aſinos papaſellos ac hermophroditos fuiſſe, ſe ſolos prę ſtãti eruditione ac doctrinâ præditos. Quę tãta eſt veſtra arrogãtia? ita ne ſanctiſsimos doctiſsimosq; illos viros contẽnere audetis?

Vtinam,vtinam D. Hieronymum vel Augustinum à morte ad carceres, à morte ad vitam reuocari contingeret, non dubitarem enim breuì totum mundum in antiquo statu futurũ. Quis enim, vt Originem & alios omittã, D. Augustini; Hieronymi, eloquentiæ, sapientiæ, doctrinæ,authoritati, sanctitati resistere valeat, eorũ ne authoritatem sustinere possetis? Non minùs iactârunt sese ac immoderatè extulerunt, Heluidius,Iouinianus,Basilides, ac nostro tẽpore hæretici, sed quàm pares ipsis fuerint, exitus declarauit; ab iis enim victi ac superati in silẽtio ac obliuione hominum vitam traduxerunt.Sed ne Patrum tantùm authoritate niti videamur, scripturæ etiã testimonia adhibenda sunt, quæ pro hac re confirmanda ita sunt perspicua, vt nihil clarius dici possit. Diuus enim Paulus in Epistola 1. ad Corinth.c.7. tàm clarè hanc rem tractat, vt cæcitatem Hæreticorum admirari satis non possim. Bonum est,inquit,mulierem non tangere;& in fine: Qui matrimonio, ait, iungit virginem suam benè facit, & qui non iungit meliùs facit, hæc enim cogitat quæ Dei sunt, vt sit sancta mente & corpore, quæ verò nupta est

cogi-

cogitat quæ ſunt mũdi, quomodò placeat viro. In quo quidem loco D. Paulus non ſolùm virginitatem vehementer commẽdat, verùm etiam nuptiis longè antefert. Hoc idem egregiè expreſsit humani generis Conſeruator, cùm difficultatem huius virtutis oſtendere volens dixit, non omnes capiũt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt, & qui poteſt capere capiat; bona enim quæ difficulter acquiruntur & conſeruantur, nobiliſsimi ordinis eſſe, in confeſſo eſt. Atque vſqueadeò hæc loca clara ſunt, vt Caluinus coactus fuerit ſentẽtiam ſuam, quâ priùs omnem virginitatem damnauerat moderari, ac perpetuam ſolùm virginitatem, non illam, quæ exigui temporis definita eſt cancellis, reprehendere, vt ex tertio capite libri citati patet, vbi ſic ait: Virginitas, fateor, virtus eſt non contẽnenda, ſed quoniam aliis negata eſt, aliis non niſi ad certum tempus conceſſa, qui ab incontinentia vexantur, & ſuperiores in certamine eſſe nequeunt, ad matrimonij ſubſidium ſe conferant, vt ita in ſuæ vocationis gradu caſtitatẽ colant. Sed quàm inepta ſit hæc Caluini doctrina, facilè quiuis animaduertere poteſt. Si enim virgini-

tas temporaria virtus est, & perpetuam virtutem esse, necesse est, sunt enim eiusdē rationis, ac breue & diuturnum in moralibus, vt optimè nôrunt Theologiæ periti, non variant speciem. Et cùm omnis virtus circa bonum difficile ac arduum versetur, sequitur virginitatem perpetuam temporaria longè esse præstantiorem; vtpotè in cuius assecutione plùs laborandum sit. Verùm non solùm rationibus è morali Phisophia petitis, sed etiam expressis sacræ Scripturæ testimoniis confutari potest hæc Caluini cauillatio. Diuus enim Paulus cùm ait, bonum est mulierem non tangere, & meliùs est non iungi matrimonio, quàm iungi, non ad certum aliquod tempus, sed cū generatim & sine vlla temporis limitatione loquatur, per totius vitę cursum id intelligit. An non etiā in eodem capite, viduis graui onere ac molestiis perfunctis, ne in miserias iterum se coniiciāt, ac iugum matrimonij denuò humeris suis imponant, sed potiùs iucundissima libertate perfruantur, ac in perpetuum continentes viuant, consulit ac suadet? verba eius hæc sunt: Mulier alligata est legi, quāto tempore vir eius viuit, quòd si dormierit,

rit vir eius, liberata est à lege, cui autem vult nubat tantùm in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit, secundũ meum consilium, puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam; & ibidem, si solutus es ab vxore ait, noli quærere vxorem. Non obstantibus tot tantisque perpetuæ virginitatis encomiis ac præconiis, perpetuam virginitatem proscindere non erubescit Caluinus, omnibus enim persuadere conatur, vt ad nuptias conuolent, & vxores non habentes ducant. Cur ita, Caluine, times fortasse ne hominum societas pereat, aut mũdus hominibus orbatus relinquatur, sed nõ est quòd adeò sis sollicitus, Caluine, facilè te hoc metu liberabo: an ideò, quia perpetuam virginitatem peccatum censes? sed nec hoc verè dici potest, nisi dicere velis summam virtutẽ, vt suprà probatũ est, vitium esse quod extremę dementię est. Quis enim ambigat perpetuã virginitatem rem esse laudabilẽ ac honestã, cùm ad eã Christus, & D. Paulus nos exhortati fuerint? An quia eã seruatu impossibilem arbitraris? sed nec hoc quidẽ intelligo, de re enim impossibili nõ datur cõsilium. An dubitas, Caluine, de promissione Christi,

qui

qui quicquid in nomine suo à Patre cœlesti efflagitauerimus, certò illud, dummodò honestum sit, & ad corporis & animæ salutem spectet, tributū iri affirmat; quid igitur hæsitas, Caluine, eum qui donū cōtinentiæ petat exauditum iri, ac eius preces non fore irritas? An ignoras, Caluine, Deum, qui dat vires, vt continentia per aliquod tempus cōseruetur, sua gratiâ & auxilio non defuturum, vt in perpetuum seruetur; Sed hæc missa faciamus, & argumēta Hęreticorum nunc ordine discutiamus. Obiiciunt enim primùm omnibus hominibus datum esse generale nuptiarū præceptum per verba illa; crescite & multiplicamini. Vndè omnes & singulos volunt diuino mandato ad nuptias contrahendas esse obligatos. Reuocat me hæc quæstio ad disputationem illā Theologicam, quâ quæri solet, quo tempore præceptum illud Geneseos nos obligare desierit, de qua re, vt paucis me expediā, tres reperio diuersas Theologorum sententias. Quidam enim tunc cessasse præceptum hoc docuēre, quando mundus in immensum excreuit, ac genus humanum abundè fuit propagatum, quod quidem hac ratione

sibi

ſibi perſuaſerunt; putârunt enim ceſſante fine ceſſare etiam medium ad illum finem inſtitutum; vt in aliis rebus perſpicitur. Alij quando Chriſtus cœlibatum laudauit eorum, qui ſe propter regnum cœlorum, (vt diuinæ ſcripturæ verbo vtar) caſtrauerunt, ceſſaſſe opinantur; conſilium enim & præceptum circa eandem rem mutuò ſe tollunt. Sunt denique inter quos eſt, ſanctiſsimus & celeberrimus Eccleſiæ doctor Thomas Aquinas, qui prçceptum hoc, hodiè adhuc vigere docent. Quæ ſententia tanquàm veriſimilior in Academiis Catholicis nunc defenditur. Habetis igitur Caluiniani, quod vobis maximè optãdum eſt, me confitentem præceptum illud de procreatione ac propagatione generis humani hoc noſtro tempore vim ſuam obtinere; ſed tamen ita confitentem, vt nihil commodi veſtræ cauſæ indè accedat, nihil noſtrę decedat. Quod vt planè intelligatur ſciendum eſt, duplicia eſſe præcepta: Quędam ſunt quæ ſic obligant omnes, vt obſtringãt etiam ſingulos, cuius generis ſunt omnia præcepta Decalogi: Alia ſunt rurſum, quæ totam Rempublicam obligant, non tamen ſingulos quosq; eiuſdem Rei-

publicæ

publicę cuiusmodi multa sunt in Republica ciuili, vt præceptum de magistratibus de agricultura & aliis artibus mechanicis, quę res Reipublicæ simpliciter sunt necessarię, non tamen obligantur omnes vt sint rustici, & agrorum cultores vel opifices. Primam conditionem habuit præceptum nuptiarum in initio, quando homo fuit conditus, propterea quòd causa præcepti, nimirùm propagatio hominum tunc maximè vrgebat. Vndè initio orbis conditi, quia Adam erat tota Respublica filios suos cogere potuit, vt connubia inter se conciliarent, quousq; iusta esset generis humani propagatio; & pari lege Noa filios suos & nepotes potuit compellere. Propagato autem satis genere humano, ac longè lateque per orbem diffuso non singulos homines, etiam ante Christum natum obligauit, sed totam Rempublicam in qua erat necessarium, vt aliqui liberis operā darēt, sed non singuli. Constat enim Hieremiam, Heliam, Helisæum, tres pueros in Babylonis fornacem missos, Danielem, Ioannem Baptistam cœlibes vixisse, quos ideò grauiter peccasse, hæretici fateri coguntur. Et certè si Hæreticorum sententia vera est,
non

non solùm sequitur hos innocentissimos integerrimosq; viros grauiter deliquisse, sed etiã perpetuis suppliciis addictos. Nemo enim ignorat finalem impœnitẽtiam siue propositum in peccato perseuerandi æternam mortem afferre, sed in proposito conseruandæ virginitatis hos omnes mortuos esse certissimũ est. Vnde si virginitatẽ cõseruare, nuptias respuere, peccatum est, vt dicunt hæretici, euidẽter sequitur hos omnes mortifera labe infectos ex hac vita excessisse, ac per consequẽs ęterna morte deletos. Quòd si quis concedat, eũ non tàm verbis tractandum, quàm fustibus & plagis accipiendum existimo, cùm Scripturam sacram, quæ prædictos ob vitæ sanctimoniam mirum in modum celebrauit ac ad cœlum extulit, erroris ac mẽdacij arguat. Quid respondebunt hìc hæretici? Lutherani constricti tenentur. Caluinistas sophistica illa de perpetua, & temporaria virginitate distinctio nihil iuuabit; nam hi de quibus loquimur perpetuò continẽtes fuere? Videant igitur nostri aduersarij ne dũ nimis nuptiis fauere volunt, D. Ioannẽ Baptistam & alios sceleris labe aspergant, &, quod intollerabilius, est condemnent,

ſed hoc aliis perpendendũ relinquo. Tempore autem gratiæ cùm Chriſtus hæc verba protulit; qui poteſt capere capiat, tunc præceptum illud generale eo modo, quo dictum eſt, reuocauit ac omnibus & ſingulis liberum reliquit matrimonium vel cœlibatũ eligendi. Sed inſtant hæretici, quòd ſi omnibus libera optio conceſſa eſſet, neminem nuptias amplexurum, ſed omnes ac ſingulos matrimonij moleſtias declinaturos, ac proinde periculum fore ne humanũ genus collabatur. Sed noua reſponſione non opus eſt, illis idem reſpondeo, quod incredibili mentis altitudine præditus, D. Auguſtinus antiquis hæreticis olim reſpondit, qui in libro de bono coniugali primũ ait, ſanctos Patres veteris legis non debuiſſe abſtinere à concubitu, propterea quòd ex illis carnem humanam Chriſtus aſſumpturus erat, deindè in fine capitis noni hæc, quæ ſequuntur, verba ſubiungit: Nunc verò cùm ad ineundam ſanctam & ſynceram ſocietatem vndique ex omnibus gẽtibus copia ſpiritualis cognationis exuperet, etiã propter filios ſolos connubia copulare cupientes, vt ampliori potiùs continentię bono vtãtur admonendi ſunt.

Sed

Sed noui quosdam qui murmurant, quòd si, inquiunt, omnes velint ab omni concubitu abstinere, vnde subsistet genus humanum? Vtinam hoc omnes vellent, duntaxat in charitate, de corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta, multò citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus sæculi. Quid enim aliud hortari appáret Apostolum vbi ait: vellem omnes esse sicut meipsum. Concedunt etiam nostri Theologi, si cõtingeret Nationem aliquam aut ferro excindi, aut peste confici (quod malum DEVS auertat) posse tunc Rempublicam, vnumquemque, etiam religiosos, ad matrimonium ineundũ compellere. Secundò obiiciunt Lutherani, virginitatem vires nostras longè superare, & propriæ vitæ esse valdè inimicam; non minùs enim Venerẽ ad vitæ conseruationem necessariam esse, quàm cibi & potûs vsum, arbitrantur. Quod quidem argumentum Hæretici non proprij ingenij acumine inuenerũt, sed, vt ipsorum consuetudo fert, à damnatis Hæreticis emendicârũt. Iouinianus enim, vt refert diuus Hieronymus, idem pro sui erroris defensione attulit, ac neminem inditæ coëundi inclinationi re-

ſiſtere poſſe docuit. In quo multùm Hæreticorum cæcitatem admiror; ridiculum enim eſt, & ſtultum cùm de facto conſtat, fieri ne poſsit, aut potuerit, dubitare, ne dicã, negare: Cùm autem omnibus notum ſit, D. Virginem, Ioãnem Baptiſtam, Euangeliſtam, & alios plures virginitatem inuiolatam conſeruaſſe, quid diu obſtrepere nobis audent? Fateor equidem virginitatem tàm excellentis naturæ & conditionis eſſe, vt humanas vires facilè excedat, hoc ſolùm contẽdo, nos diuino auxilio ſuffultos virginitati poſſe eſſe pares. Hoc enim ſubſidio fretus D. Paulus ſtimulum carnis, cui ſuccumbendum timuerat, refrenauit, hoc auxilio adiuti, innumeri ſanctiſsimi homines, tàm veteris quàm nouę legis, caſtitatem integrè coluerunt; hoc denique præſidio ſepti nihil eſt tàm durum ac áſperum, quod vincere & ſuperare non poſsimus; vt veriſsimè dixerit. D. Paulus: omnia poſſum in eo qui mę confortat. Hanc reſponſionem antè occupare & expugnare conatur Caluinus in libro ſæpe nominato, ait enim; neque mihi quiſpiam obſtrepat (quod multi hodiè faciunt) Dei ſe auxilio adiutum omnia ſe poſſe; Dei enim

 auxi-

auxilium non nisi iis adest, qui in viis suis ambulant, à qua omnes se subducunt, qui præteritis Dei subsidiis, necessitates suas superare eluctariq; inani temeritate contendunt. Sed hæc adeò absurda & impia sunt, vt longa responsione non indigeant. Dicit enim primùm illũ prẹterire Dei subsidia, qui à carne vexatus non statim ad nuptias sese recipit; quasi nullũ aliud sit subsidium edomandæ carnis nisi illud. An nõ nôsti sine Cerere & Bacho frigere Venerẽ? non sine causa admonuit nos D. Paulus vt ebrietatem fugeremus his verbis: nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sciuit enim vir sanctissimus multa mala ex immoderato vini potu oriri: ignoras ne esse quosdam adeò potentes spiritus hostes, qui superari sine ieiunio, oratione & aliis carnis attritionibus nequeunt? An non legisti eos solùm præmium & coronam manere qui fortiter certauerint? Sensit carnis aculeos D. Paulus, senserũt & alij innumeri sancti, non tamen desperatione fracti ad matrimoniũ confugerũt. Secundò docet, inanem esse temeritatem illius, qui DEI adiutorio fretus, contendit superare omnem carnis tentationem, præsertim vehe-

mentem. Aut igitur Caluinus non omnipotentem credit Deum, aut adiuuare nolentem, quorum vtrumq; absurdissimum est: quid enim cogitari potest absurdius, quàm docere nos diuina ope confirmatos tentationibus ac carnis oppugnationibus resistere non posse? Audi, quęso, quid dicat D. Paulus: fidelis est Deus qui non patitur nos tentari supra vires nostras nullus est igitur tàm grauis, & vehemẽs carnis impetus, quẽ diuino auxilio reprimere ac repulsare nõ valeamus; quod etiam multorum sanctissimorum virorum exempla ac vita declarat. D. enim Paulũ a cinfinitos alios, quamuis acriter oppugnati fuerint, victores discessisse, nulli dubium est. Quocircà non est, quòd quisquam de tali victoria, dummodò diuinam opem diligenter imploret, & adnitatur pro viribus, dubitet. Quòd si dicat Deum non velle omnes iuuare, mendacem facit Deum, qui se omnibus in veritate nomen suum inuocantibus præstò adfuturum promittit & Matth. 11. Omnes laborantes & oneratos recreatum ad se vocat; graue autem esse virginitatis onus experiuntur ij, qui illud sufferunt. Habẽt hoc omnes Hæretici in more

positum,

positum, vt aliorum ingenium ex suo metiantur, & quod ipsis tùm ob corruptam deprauatamque consuetudinem, tùm ob excæcatum rationis lumen ἀδύνατον videtur, idem ab aliis iudicari putent; sed longè diuersum sentirent, si sanctos Patres legissent. Aurea certè sunt Augustini verba ac scitu dignissima in libro 2. de meritis & peccatorum remissione c. 2. vbi sic, inquit: casti non sumus, nō quia nō possumus, sed quia nō volumus: & super Psalmum quinquagesimum quintum iterum ait: in te est quod voueas & reddas. Multa ad hoc propositum præclara afferunt Chrysostomus, Origenes, & alij; quæ si considerâssent, & penitus animo infixissent, Caluinus, Zuinglius, Oecolampadius, Lutherus, VVolffgangus Capito, Martinus Bucerus, & horum asseclæ fidem Deo datam non tàm temerè profanâssent. Sed valeant Lutherani vnà cum grege Caluinistarum, nihil nos mouebunt ipsorum calumniæ, nulli Christiano benè educato ac instituto inuisam odiosamque reddent virginitatem; cùm Dei filius ex virgine nasci voluerit, virginitatemque multis encomiis extulerit. Sed de hoc satìs: Quòd instituta monastica ac

omnem vitam auſteram è religione Chriſtiana exterminatam profligatamque cupiunt, non miror, faciunt id exemplo ſuorum præceſſorum, Ioannis Huſsi, VVicle-phi, Hieronymi Pragenſis, qui eos omnes, qui, ne mundi voluptatibus atque illecebris caperentur, arctiorem ſibi viuendi rationem ad Chriſti Apoſtolorumq; vitam aliquo modo accedētem, præſcripſerunt, ac ſeſe temperantiæ, continentiæ & aliarum maximarum virtutum legibus aſtrinxerunt, damnauerunt. Sed quis non videat eos delirare, cũ exemplar ſanctitatis Ioannem Baptiſtam, Antonium, Franciſcum, qui multis miraculis floruerunt, Deoque gratiſsimi fuerunt, tàm duræ ac aſperæ vitæ authores habeamus? Illud autem quod Magdeburgenſes Centuriatores de Diuo Ioanne finxêre, pluſquàm fabuloſum eſt, vt vehementer mirer illos tàm parùm honoris ſui rationem habuiſſe, ac ſe omnibus nationibus deridēdos obieciſſe. Longum eſſet ſingula proſequi; plura de his Deo dante aliàs. Quæ quidem omnia, vt ad id, quod totius huius controuerſiæ caput & baſis eſt, accedam; quamuis valdè ſint perſpicua, & ad illorum mendacium confu-

tandum qui Lutheranos, quantùm ad bonorum Operum necessitatem, à nobis nõ discrepare docuêre, sufficientia tamen, vt omnis dubitatio ex hominũ animis euellatur, aliqua adhuc loca adiungam. Lutherus enim in Cõmmẽtariis epistolæ ad Galathas Dei & proximi amorem ac malè factorum pœnitentiam ad salutem non esse necessaria apertè docuit: scripsit etiam initiò legem neque ante neque post iustificationem esse necessariam; ac bona opera esse omninò inutilia. Quam doctrinã paulò pòst in Antinomos inuehens hoc modo correxit, quòd lex ante iustificationem ad peccata cognoscenda necessaria sit, postea vero prorsus inutilis. Alibi etiam bona opera potiùs nobis impedimento fore ad salutem, ac nos per illa iram Dei promereri asseruit: accedit & illud quòd iustum in omni opere bono peccare censuerit. Quem errorem multi alij hauserunt (nihil enim vnquam tàm fœdum & à communi hominum sensũ tàm alienũ dictum fuit, quòd ab ipsius discipulis nõn diligenter exceptum, & pro puro Euangelio habitum non fuerit.) Nam Matthias Illyricus, Nicolaus Amsdorphius, Ioãnes Agri-

cola non vulgares apud Lutheranos ſcriptores bona Opera animæ pernicioſa eſſe publicis ſcriptis defenderunt; quos Nicolaus Gallus, & plures alij Saxonici concionatores ſecuti ſunt. Taceant igitur Cõfeſſioniſtæ, qui Suos bonorum Operum nomine falſò à nobis traduci grauiter conqueruntur. Verba Apologiæ Confeſsionis Auguſtanæ hæc ſunt: falsò accuſantur noſtri quòd bona Opera prohibeant, ſed non eſt neceſſe pluribus ad hoc reſpondere, quàm malè enim rigidi Lutherani de bonis operibus ſentiant ex dictis patet. Illi porrò qui bona Opera admittunt, quàm inter ſe diſſentiant, nulli obſcurũ eſt. Nam quàmuis in eo omnes conueniant, bona Opera requiri non vt per ea iuſtificemur aut mereamur, ſed ſolùm vt fidẽ declaremus & teſtemur, in aliis tamen plurimùm diſſentiunt. Aliqui enim ea ſolùm bona Opera exercenda eſſe ſibi perſuadent, quæ ſacris literis expreſſa, nobiſque à Deo iniuncta ac præcepta ſunt. Alij illa ſolùm quę in proximi vtilitatem vergunt, qui ſanè omnes, ſi res diligenter perpẽdatur, nomine ſolùm concedunt bona Opera, re autem prorſus tollunt. Nam ſi vera ſunt quæ

 ab

ab iſtis tanquam certa ac indubitata ſcripturæ oracula vulgò proponuntur; Deum nimirùm eſſe hominibus cauſam peccandi, Deũ nos ad blaſphemias, ſcortationes, furta, latrocinia, prædationes, mendacia impoſturas, ac ad omne gen⁹ flagitiorum impellere, conatum ad honeſtum eſſe peccatum, extinctam eſſe arbitrij noſtri libertatem, omnia fatali neceſsitate contingere, nõ video quomodò ſibi conſtent. Quo enim iure à nobis Deus bona Opera requiret, aut puniet mala, cũ in noſtra poteſtate non ſit bonum eligere ac malum refugere, cùm arbitrium noſtrum merè ſe habeat paſsiuè, cùm denique ad omnia non liberi ſed diuinit⁹ impulſi feramur & rapiamur? Prætereà cùm docent, nullum eſſe apud Deum meritum, quid aliud intendunt, quã vt omnia rectè facta, & virtutis actiones eleuent ac explodant? Dolent Lutherani tot vitia in Lutheraniſmo increuiſſe ac Aſoticam & Epicuream planè vitam paſſim apud ſuos vigere; ſed non eſt quòd doleant, hi enim ſunt pręclari noui Euangelij fructus; quare ſi vitia extirpare, ſi mores ꝓfligatos reſtituere, ſi virtutem exulantem reducere cupiunt, dogmata ex quibus hi

Caluinus in libro de prędeſtinatione.

Lutherus in Poſtilla magna in dominicã aduentûs.

fructus pullulârũt abiicienda, ſtylus commutandus, immoderatę libertatis & nudæ fidei laudes omittendæ Pœnitentiæ operum præconia cum Ecclesia Catholica decantanda ac celebranda erunt. Sed quorſum hæc tàm copiosè diſputo, quorſum? Primùm vt in via laudis currentes calcaribus concitem, & oſcitantes virtutis ardore inflammẽ: Quis enim bonorum Operum ſtudio non incitetur, cùm iis tàm præclara præmia propoſita, eademque ſummopere ad ſalutem neceſſaria cognoſcat? Secundò vt omnes intelligant quantùm Lutheranis in cæteris fidendum ac credẽdum ſit, cùm in re tàm graui, & periculoſa tàm turpiter errârint; denique vt aduerſarij noſtri erroris ſui turpitudinem agnoſcentes reſipiſcant, & ad gremium Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum altricis reuertantur; quod faxit ille qui trinus & vnus eſt, Amen.

LAVS DEO VIRGINIQVE MARIÆ.

ORATIO DE LAVDIBVS D. VIRGINIS MARIÆ HABITA IN FESTO Assumptionis, Romæ.

MVLTA sunt præclarè, ac diuinitùs à Maioribus nostris instituta (Aud. ornat.) quæ maximas Reipublicę Christianæ vtilitates attulerunt, & Religionis dignitatem splendoremque maximè conseruauerunt: Illud tamen diuina quâdam mihi videtur ab eis sapientiâ constitutum, quòd sanctis hominibus, optimeq; de Republica Christiana meritis diuinos honores, festosque dies statuerint, atque decreuerint. Quarè in tanta huius diei celebritate, populique Christiani lætitia vellem equidem Aud. vt tanta sapientiâ, dicendique facultate pręditus essem, quantam diei religio, loci amplitudo, rei dignitas, ac omnium denique vestrûm expectatio postulare videtur. Verùm cùm propter ingenij tenuitatem, dicendique inopiam tanto oneri parem me esse non posse sentiam, augustam inprimis Virginem precor, vt

mihi ex hoc ornatiſsimo dicẽdi loco verba apud vos facienti opituletur, ac faueat. Deindè vos oro, atque obteſtor Aud. vt me veſtra humanitate ſubleuetis. Atque vt inde noſtra proficiſcatur oratio: Primùm quanta ſit ſummi illius rerum omniũ Opificis, Mũdiq; architecti Dei erga homines, tùm morum integritate conſpicuos, tùm vitę ſanctitate florentes, benignitas, quanta clementia, quàm deniqueDeus immortalis admirabilis ſit in Sanctis ſuis cognoſcamus oportet; faciliùs enim intelligemus, quàm glorioſa fuerit Virginis Matris in cœlum profectio. Ea enim eſt Dei Opt. Max. in ſanctos ſuos beneficentia, vt eos non ſolùm in illa immortali, ac perenni vita æternis præmiis cumulatos, cœleſtiq; patria donatos, verùm etiam in hoc ęrumnoſo exilio ampliſsimis muneribus, ſummisque honoribus auctos velit, & exornatos. Cuius diuinæ munificentiæ argumenta ſi in cæteris ſanctis tot tantaque ſunt, vt cùm ea paulò diligentiùs intuemur, admiremur plurimùm, ſuſpiciamus, obſtupeſcamus, diuinamque liberalitatem prædicemus, ac ad cœlum vſque laudibus extollamus, qua, quæſo, admiratione, quo

ſtupore

ſtupore afficiemur, ſi paululum mentis aciem in B. hanc Virginem cõuerterimus, quæ adeo omnibus admirandis dotibus, ac ornamentis eſt inſignis, vt in eam propè vnam excolendam, ornandam, atque illuſtrandam diuina prouidentia omnes aliorum prærogatiuas, omnes honores, ac ornamenta contuliſſe, ac transfudiſſe videatur. Nã, vt alia, quæ penè ſunt infinita, prætermittam, quàm ſingulare, ac diuinũ fuit illud ornamẽtum, quo ab immortali Deo eſt exornata, cùm præpotentis Dei filij digniſsima Mater, honorifica cœleſtis nuntij ſalutatione appellata eſt, atq; promulgata. Potuiſſet ſanè Aud. hoc vnicum ornamentum ad nominis immortalitatem, poſteritatisque commendationem D. Virgini ſufficere, verùm tãtum extitit Dei immortalis in hac Virgine illuſtranda ſtudium, vt ne in hoc quidem tàm excellenti bono acquieſcere, aut illam ornandi finem facere voluerit, ſed vt ipſius fama, atque gloria omnes oras peruaderet, hoc tantum ornamentum incredibili quodam genere honoris cumulauit. Etenim clariſsimi triumphi acceſsione ita illam nobilitauit, vt non fœmina mortalis corporis vinculis

aſtricta,

astricta, ergastuloque inclusa, sed ab omni fragilis corporis mole, compagibusque libera, ac soluta, non fœmina quædam in hac terra nata, sed diuinitùs de cœlo demissa esse videatur. Quid enim grauiꝰ dici potest? Hodie sacra, & animata Dei archa Spiritûs sancti molitione fabricata in cœlestibus tabernaculis collocatur. Hodie pulcherrima illa radix Iesse in altum ascẽdit. Hodie mulier illa, quæ antiqui serpentis caput infestissimum perfregit, atq; cõtriuit, magno cum triumpho ad fœlicissimas beatissimarum mentium sedes corpore etiam induta contendit. O rem admirabilem, ac stupendam. Cui, quæso, post hominum memoriam (vnico humanæ salutis authore excepto) ita cœlos adire cõtigit? Legimus quidem, clarissimos diuinorum oraculorum vates, sanctissimosq; viros, Heliam, Enoch, Ioannem Euangelistam ex hominum conspectu, oculisque esse sublatos, atq; ad amenissimos illos Paradysi terrestris hortos diuinitùs esse trãsportatos, verùm mortalem ad cœleste domicilium esse translatum, atque ad superorum Concilium euocatum, est ita nouum, vt cunctis sæculis sit inauditum; ita

admi-

admirabile, vt animus capere vix poſsit. Hodierno itaq; die clariſsima Virgo ignominiam ex illa miſerabili clade contractā, ac perpetuò fœminarum nomini inuſtam, deleuit, flagrantiſsimumq́; in fœminarum texum incendij odium prorſus extinxit: nam & amiſſa ornamenta quadantenus reſtituit, acceptaq́; detrimenta maioribus commodis reſtaurauit. Primę mulieris effrænata cupiditate gratiâ cœleſti excidimus omnibusq́; ornamentis, quibus à Deo abundantiſsimè cumulati eramus exuti, ac ſpoliati ſumus. Huius verò Virginis ſingulari integritate tantùm ex iis, quibus priuati eramus, recuperamus, quantùm ad æternam ſalutem facilè comparandam eſt ſatìs. Primæ mulieris præcipiti furore ex iucũdiſsimis Paradyſi terreſtris ſedibus expulſi, profligati, atque ad has vltimas orbis terrarum partes deturbati, ac relegati ſumus. Huius incredibili ſapientiâ in longe fœliciſsimo gratiæ ac vitę ſtatu collocati ſumus. Illius grauiſsimo ſcelere ſub immaniſsimi Tyranni imperium, ac poteſtatem, ſeruitutemque longè acerbiſsimam cecidimus. Huius verò ſanctiſsimę Virginis diuina virtute à grauiſsimo ſeruitutis iugo libe-

liberati,ac in libertatis ſtatum reſtituti ſumus.Illa nobis iter,acceſſumq; ad beatorũ ſedem intercluſit: Hæc aditum nobis interclusum,atq; omni ex parte obſtructum, quantum ſuarum quidem partiũ fuit,aperuit, atq; patefecit. Illa nos tantùm non in deſperationem adduxit, omnemq; nobis ſalutis ſpem ademit. Hæc nos afflictos recreauit,fractos confirmauit, deſperantesque propemodùm, ad certiſsimam ſalutis ſpem erexit. O diem iucundum,nobisque omnibus vehementer exoptatum. O Virginem prçclaram,ac planè diuinã. An non hoc altiſsimo quodam conſilio à Deo immortali factum eſſe,exiſtimatis,quòd muliere,tanquam inſtrumento quodã,ad humani generis ſalutem vti voluerit? An non hîc clarè Dei Opt.Max.erga hanc Virginẽ, beneuolentiã,benignitatemq; perſpicitis, quòd tantum vni mulieri, quantum nulli vnquam mortaliũ tribuerit? Quibus ergò te, beatiſsima Virgo, pro tàm diuinis atq; innumerabilib.beneficiis,laudibus extollemus?quo ſtudio complectemur?qua beneuolentiâ proſequemur? qua obſeruãtiâ colemus? Nos certè tãtum tibi debemus, quantũ perſoluere nullo modo poſſumus.

Tanta enim eſt magnitudo tuorum in nos meritorum, vt ſi totum vitę noſtrę tempus in te exornanda, diuinisq; tuis laudib. prædicandis conſumamus, non ſolùm magnitudini tuorum officiorum non ſatisfaciamus, ſed ne minima quidem ex parte correſpondeamus. Quid verò de clariſsimo triumpho dicam? Vtinã Aud. ea eſſet oculorum noſtrorum acies, vt beatiſsimam Virginem triumphantẽ, ac cœleſtia regna petentem intueri, tantiq; triumphi ſpectatores eſſe poſſemus. Admiraremur profectò tantum ſplendorem, atq; vnà cum illo beatorum ſpirituũ cætu in hæc verba prorumperemus: Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt Caſtrorum acies ordinata? intueremur cœleſtes acies eam incredibili cum pompa, ac triumpho ad cœleſte domicilium tranſportantes, inſpiceremus innumerabilem beatarũ mentium multitudinem ex omnibus cœli partibus ad ſpectandum tantum triumphum effuſam, cerneremus omnes ordines cœleſtes lætantes, gratulantes, ac Dei, beatiſſimæq; Virginis laudes perſonantes, videremus deniq; clariſsima religionis noſtræ

lumina, atque ornamenta, omnes Apostolos, amplissimumq; senatum cœlestem sanctissimæ Virgini obuiàm procedentem, eamq; diuinis, atq; immortalibus honoribus excipientem. Verùm cùm imbecillitas, viriumq; nostrarũ angustia id minimè patiatur, illud relinqui videtur, vt similitudine, comparationeq; ad huius clarissimi triumphi splendorem deueniamus. Ac ne omnia dicendo cõsecter, quà, quæso, voce, aut quibus verbis, humanæ salutis Autorem dulcissimam Matrem excipiendo, atque amplectendo vsum fuisse existimatis? Surge, propera, amica mea, speciosa, veni columba mea. O vocem iucundã, ac quouis dulcissimo concentu suauiorẽ. Quantam cedò Aud. Beatissimam Virginem ex dulcissimi Filij, cuius desiderium ferre vix potuit, aspectu, colloquioq; lætitiam, voluptatemq; hausisse arbitramini? Equidẽ sic existimo, tãta eam affectam esse lætitiã, gaudioq; cumulatã, vt præ gaudij magnitudine exultârit. Quid enim ipsi iucũdius accidere potuit, quàm tandem aliquando illius conspectu frui, quem à se diuulsum, atq; abstractum maximis doloribus, ac lachrymis erat prosecutà? quoq; se priuatam

 vehe-

vehementiſsimè doluerat, grauiſsimeque tulerat? Quid illi gratius, quàm Filiū ſuum tam malè à mortalibus tractatum, tot iniuriis, contumeliisque affectum, indigniſſiméq; in crucem actum, in cœleſti illo domicilio glorioſiſsimè regnantem, atque triumphantem videre? Quàm lætabatur, atque exultabat, cùm ſacratiſsima illa vulnera, quorum præcioſiſsimo cruore conſeruati ſumus, ab excidio vindicati, atque ex ipſis Acherontis faucibus erepti incredibili ſplendore corruſcantia conſpexit? Quis, quæſo, hodierni diei ſplendorem, quis gaudij magnitudinem dicendo conſequi poſſet? dies me profectò, vox, lingua, viresque deficerent, ſi omnia complecti vellem orando. Quòd ſi igitur omnibus grati, ac iucundi eſſe ſolent illi dies, quibus præclarum aliquod beneficiū acceperunt, tibi ſanè, Beatiſsima Virgo, meritò gratiſſimus atq; iucundiſsimus debebit eſſe hodiernus dies, quo immortalitatem es aſſecuta; quo ſanctiſsimū cœleſtem ſenatum, omnes ordines, cœlum denique ipſum ſedibus ſuis quaſi conuulſum, obuiamque tibi factum vidiſti. Gaude itaque, beatiſsima Virgo, exulta, atque lætare tandem te

aliquando DEI immortalis benignitate voti, ac desiderij compotem esse factam. Gaude, ac lætare tandem aliquando illum diẽ illuxisse, qui tuis laboribus, doloribus ac miseriis finem attulerit, teq; æterna illa beatitudine cumulauerit. Gaude, ac lætare tandem aliquando illud tempus venisse, quo dictum illud diuinis oraculis multis antè sæculis promissum vsurpare possis: Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Syon. Nunc te omnes gentes Beatam prædicabunt. Nunc omnes posteri honorificè de te loquẽtur, nec vlla vnquã ætas de tuis laudibus conticescet. Quòd si igitur turpissimum est acceptorũ beneficiorum immemorem, ingratumque esse, nos ei ingrati erimus, cui beneficiorũ memoriâ deuincti sumus sempiterna? Hæc nobis afflictis dexterã suam porrexit, laborantibus matura, ac salutari ope subuenit, stratos atq; abiectos subleuauit, à desperatione ad spẽ, à vita ad mortem reuocauit. Quarè si acceptorum beneficiorum memoria grata nobis est, atq; iucunda, si libertas, vita, salus chara, hanc certè Virginẽ, cuius beneficio tantis commodis fruimur, in perpetuum laudare, ac


omni ſtudio, ac religione colere, ac obſeruare debemus. Hunc ego te, Regina cœli, orbis terrarum Domina oro, atque obteſtor, vt nos omnes, qui ad hoc florentiſsimum virtutum, ac literarum domicilium diuino, credo, ſpiritu inflati confluximus tuo ſanctiſsimo patrocinio commendatos habere velis. Adſis, quæſo, Beatiſsima Virgo, ſtudiis, conatibusq́; noſtris; excita dormientes, inflamma oſcitãtes, impelle torpentes, currentes vrge, vt aliquando firmiſsimis pietatis, ac doctrinæ præſidiis inſtructi patriæ labenti ſuccurrere, ac religionem propè proſtratam erigere, exulantem reſtituere valeamus. Te Germania grauiter afflicta, grauiſsimisque malis oppreſſa ſupplex precatur, vt hoc ampliſsimum Collegium, in quo poſt Deum, omnem ſalutis ſuæ ſpem defixam, atque collocatam habet, diuinitùs inſtitutum autoritate tua tuearis, ardentiſsima charitatis flammâ ſtabilias, ſplendore illuſtres, integritate perficias, perfectamque denique quàm diutiſsimè ſaluum, atque incolume conſerues. Te quoque tacitè ſocietas noſtra orat, vt quam ſub tuo fœlici auſpicio erectam ſingulari ſemper fauore, ac præ-

dis, atque gloriæ cursum persequamini, atque officium vestræ fidei commissum ita gubernetis, atque administretis, vt institutorum conuentuum commodis consuluisse, omniumque opinioni, atque expectationi cumulatè satisfecisse videri posſitis. DIXI.

ARGVMENTVM ORATIONIS.

En Christi genitrix exhaustis mille periclis
Nunc subit æthereos virgo sacrata polos
Virgo subit rutili nunc alta cacumina cæli
Posſit vt optata læta quiete frui.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ EX PRÆCIPVIS SS. THEOLOGIÆ locis depromptæ & à me GEORGIO GOTHARDO Ticini defensæ publicè.



OGNITIONEM seu doctrinā aliquam reuelatam, de obiecto supernaturali non modò posſibilem, sed omninò humano generi necessariam omni tempore

& singulis fuisse, tàm ad beatitudinē consequendā, quàm ad alias veritates naturales aliôquin ad salutē necessarias, perspiciendas, naturali lumine cognosci potest, quam etsi in omnibus aliis sectis minimè reperiri, demonstrari posſit, in religione tamen Christiana esse, ac proinde amplectendam probabiliſsimè suaderi, demonstrari non potest.

2. Est autem sacrę Theologiæ, quā Scholasticam vocāt, scientiarum omnium, tàm speculatiuarum, quā practicarum, vt certitudine prima, ita dignitate & nobilitate præstantiſsima vna specie, eminenter speculatiua & practica subordinata scientiæ beatorū, cuius obiectum est Deus vt Deus sub ratione reuelabilitatis.

3. DEVM esse, non est ita per se notum, quin demonstrari queat: Est autem simpliciſsimus ab omni compositione tàm Physica, ex materia & forma, quàm Metaphysica, ex actu & potentia, ex ente & essentia & sic de aliis penitus remotus, perfectiſsimus omnium rerum perfectiones formaliter in se continens, vel eminenter, infinitæ virtutis simpliciter, ratione cuius, omnibus in rebus necessariò existit, immutabilis

bilis & æternus solus per essentiam, cuius æternitate, omnis duratio, tàm continua, quàm discreta permanẽs mensuratur, cuius scientiæ & voluntati omnia tàm singularia quàm contingentia, tàm in se quàm extra se sine vllo discursu & mutatiõe subsunt.

4. Deus clarè visus, quamuis naturalis hominum finis est dicendus, cognitione tamen & assecutione naturam penitus excedit, ad quem videndum nulla nec impressa species nec expressa, omninò tamen lumen gloriæ etiam per quamcunque Dei potentiam requiritur, licet ex alia parte intellectum actiuè concurrere, atq; adeò perfectiorem in natura, perfectius videre, non sit negandum.

5. Ad diuinam porrò naturam quæ proximè accedit, angelica est, non quidem vt illa simplicissima, immaterialis tamẽ, spiritualis & intrinsecè incorruptibilis. Vnde in loco non est nisi per contactum & applicationem virtutis suæ operatricis, ratione cuius in duobus locis esse non potest, nisi in adæquatis. Vnde duplici motu cõtinuo & discreto, & hoc sine transitu medij, non tamen in instanti moueri potest.

6. Quamuis autem mentes illæ puræ & materiæ penitus expertes, rerum ſenſibilium numerum longiſsimè excedant, plures tamen vna, eademq; in ſpecie conſtitui non poſſunt.

7. Intelligunt porrò omnia pręter ſuam Deique eſſentiam, per ſpecies à Deo infuſas, idque ſine diſcurſu, errore & opinione aliqua, ſolo tamen ſpecierũ auxilio; rerum futurarum effectus fortuitos, aut motiones voluntatis liberas, aut gratiæ occulta myſteria, ſuapte naturâ cognoſcere non poſſunt.

8. Ita autẽ ab initio mundi à Deo creatę ſunt, vt ſimul gratiam acceperint cum naturâ, atque adeò proportionatam perfectioni eiuſdem naturæ, vt ad eam nihilominùs ſeſe, ſicut ad vltimum finem, nempe beatitudinem, diſpoſuerint.

9. Tametſi impeccabilẽ naturâ ſua creaturam fieri repugnet, angeli tamen in primo ſuæ creationis inſtanti peccare nõ potuerunt: Neceſſe autem fuit, primum angeli peccatum ſuperbiam eſſe in ordine ad vnionem hypoſtaticam Verbi, atque adeò in ſupremo omnium angelorum lucifero fuiſſe, non eſt improbabile.

10. Sunt autem Angeli ſic conſtituti, vt beati actum demeritorium, damnati meritorium aut moraliter perfectum nunquam facere, imò nec reſipiſcere aut Deũ amare ob obſtinati animi vitium poſsint; quæ quidem obſtinatio, non tam à priuatione diuini concurſùs, quàm naturæ ſtatusq; conditione proficiſcitur.

11. Cùm poſt primi hominis peccatum, mortale genus, nullis puræ creaturę quantúmuis perfectę viribus, ſecundùm iuſtitię rigorem reparari poſſet, eſſet tamen naturâ ſua reparabile, conuenientiſsimum fuit diuinæ bonitati ſapientiæ & iuſtitiæ, illud Verbi diuini incarnatione redimi.

12. Indubitatum eſt, Chriſtum ſaluatorem noſtrum, de facto pro peccatis hominum ſanandis in mundum ad nos deſcendiſſe humanamque naturam aſſumpſiſſe. Huius tamen altiſsimi myſterij peccatum non ita cauſam extitiſſe credendum eſt, vt ſi Adam non peccâſſet, verbum DEI incarnatum idcircò non fuiſſet.

13. Humani generis ſalutis autor, qui pręrioſo ſuo ſanguine nos patri cœleſti recõciliauit, & ad æquitatem iuſtitię pro omnibus ſatisfecit ab inſtanti ſuæ creationis,

(quod

(quod soli Christo tribuimus) verus fuit comprehensor & viator.

14. In Christo nõ tantùm est scientia verbi increata, sed etiã creata, beatifica, infusa & acquisita, per quas omnia in verbo etiã occultissima, quæ sunt, fuerunt & erunt videt. Sciuit autem ea omnia per infusam ad quę intellectus possibilis, naturaliter est in potentia.

15. Quoniam homo naturâ sua ignorantissimus, ex iis quæ sensui patent ad diuinorum cognitionem ducitur, conuenientissimè signa quædam sensibilia, tàm in veteri quàm noua lege concessa fuerunt.

16. Septem sunt Sacramenta nouæ legis à Christo Domino immediatè cũ certa forma & materia instituta; quorum tria Baptismus Confirmatio & S. ordo vltra gratiam, quam cum omnibus aliis ex opere operato verè & physicè caussant, characterem in essentiam naturæ imprimũt. Vnde repeti sine sacrilegio nequeunt.

17. In horũ administratione ministri graue peccatum committunt, si ad administrandum temerè & scelere aliquo inquinati accedunt, effectum tamen Sacramenti, nullo flagitio, dummodò legitimam intentio-

tentio-

tentionem habuerint impedire possunt:
18. Baptismus sacramentorum omnium ianua, etsi singulis in re vel in voto necessarius est simpliciter, infideles tamen, aut filij eorum si mancipia non fuerint, inuitis ipsis, baptizari non debent. Est autē forma eius: Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritûs sancti. Vnde in nomine Christi aut sanctæ Trinitatis collatus inualidus est; materia eius est aqua elementaris.
19. Baptismus Ioannis ab ipso Ioanne institutionem trahens & originem, non fuit idem cum baptismo Christi, licet in nomine Christi conferretur. Vnde nec gratiam contulit nec necessarius fuit. Circumcisio verò & alia naturæ sacrificia etsi virtute fidei iustificârint, ex se tamen gratiam nullam conferebant, suamque vim totam iustificandi in passione Domini amiserunt.
20. Est autem Baptismus à Christo Domino, non simul, nec vno in loco, sed quoad aliqua ante passionem, quoad alia in passione, denique, quoad aliqua post passionem institutus.
21. Confirmatio est verum Ecclesię Sacramentum ab ipso Christo Domino institutum, cuius materia est chrisma ex oleo & balsa-

balſamo conflatum & ab Epiſcopo conſecratum, qui proprius illius miniſter eſt, licet ex delegatione ſummi Pontificis ſimplex conſtitui poſsit ſacerdos.

22. Sacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramẽtum omnium digniſsimum, tametſi ad ſalutem neceſſarium, vt medium ſimpliciter non ſit, eſt tamen præceptum, omnes ratione vtentes obligans, cuius materia eſt vinum vitis & panis triticius, rationabiliùs tamen azymus quàm fermentatus. Vnde nec in aceto aut cereuiſia aut alio genere potûs, fieri poteſt conſecratio.

23. Forma verò eius, ſunt ipſa conſecrationis verba, tùm hæc: Hoc eſt corpus meũ &c. tùm illa: Hic eſt calix &c. quibus prolatis vera fit panis & vini, in corpus & ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiatio, atque ita quidem, vt non ſolùm in hoſtia tota, ſed qualibet ei' particula minima, ante & poſt fractionem totus Chriſtus ſecundùm diuinitatem, animam, corpus, ſanguinem & dimenſionem modo quodam incomprehenſibili verè contineatur.

24. Poſt conſecrationem nihil ſubſtantię panis & vini penitus remanet, ſed ſolùm accidentia proprio ſubiecto ſpoliata ibi repe-

reperiuntur, tamdiu autem sub speciebus panis & vini Christus continetur, quoúsq; species illæ corrumpantur.

25. Pœnitentia nõ tantùm est Sacramentum sed etiam virtus sine qua impossibile est, hominem in peccato actuali mortali constitutũ salutem consequi. Eius materia sunt tres actus pœnitentis, contritio confessio & satisfactio; forma vero: Ego te absoluo, per quam dimissa culpâ non est necesse omnem quoque remitti pœnam. Sicut autem peccata dimissa per sequentem auersionem, ita opera bona mortificata per sequentem conuersionem non nisi in specie redire dicimus.

26. Minister eius proprius est sacerdos iurisdictionem habens ordinariam vel delegatam qui subditum ab omnibus peccatis sedi Romanę vel loci ordinario non reseruatis absoluere potest. Vnde simplex sacerdos qui nulla iurisdictione est præditus à nullo peccato mortali nisi in casu extremæ necessitatis absoluere potest, quo quidem tempore ab omnibus peccatis & cẽsuris absoluendi potestatem habet.

27. Conuenientissimus est modus clàm & priuatim cõfitendi, atq; ad confessionis conser-

conseruationem maximè necessarius. Potest autem confessio, quoad effectum esse informis, quem tamen fictione abeunte sortitur: Integritas autem & sigillum, ita ei astricta sunt, vt diuidi vel manifestari sine licentia pœnitentis non possit.

28. Nemo potest in hac vita, pro pœna ęterna satisfacere de iustitia. Homo autem in charitate constitutus, licet pro pœna temporali, tā propria quàm aliena id possit, extra tamen illam non potest; debet autem satisfactio fieri per opera pœnalia, quæ tamen non est necesse aliàs esse debita vel non.

29. Certa fide tenendum est in Ecclesia Dei esse potestatem excommunicandi & separandi à communione fidelium, tàm interna quàm externa. Maior autem excommunicatio non existente causâ peccati mortalis nec infligi debet, nec inflicta tenet.

30. Eadem certitudine tenendum est dari in Ecclesia Dei thesaurum indulgētiarum ex meritis & passione Christi, & sanctorum eius conflatum, cuius dispensatio, quæ per se primò in summo residet Pontifice causam vrgentem requirit.

31. Ecclesia Dei q̃ est Catholica & vniuersalis omnium credẽtium vbiuis locorum existentium sub vno visibili capite, visibilis congregatio cùm à Spiritu sancto regatur & columna sit veritatis in fidei & morum disciplina errare non potest, nec vnquam errauit, suntque in ea vsq; ad extremum iudicij diem boni & mali.

32. Matrimonium, quod perpetuæ viri & mulieris cohabitationis obligationẽ includit, nunquam fuit præcepti naturalis, positiui tamen esse potuit vsq; ad Christũ, à quo factum est Sacramentum; cuius materia est ipsa mutua corporũ traditio, forma verò mutui consensûs expressio.

33. Conditio quæuis matrimonio apposita quantúmuis turpis & impossibilis, si contra naturam & substantiam eius non fuerit pro non adiecta haberi debet. Nullus autem gradus affinitatis, cognationis spiritualis, & consanguinitatis, præterquã primus in recta linea consanguinitatis iure naturali matrimonium impedit.

34. In causa diuortij, ob infidelitatẽ, fornicationẽ, aut alia peccata enormia, vterque coniugum pares censeri debent, hoc tamẽ sine authoritate publica aut iudicio

Ecclesiæ fieri nequit, nec alteri cõiungi licet, excepta ea infidelitatis causâ, in qua deinde tradunt posse coniugem fidelem ad secundas nuptias transire, matrimoniũ non soluit. Olim tamen, sicut & pluralitas vxorum, nõ solùm permissum fuit diuortium, sed etiam licitum.

35. Quamuis votum simplex matrimonium contrahendum impediat, & solenne contractum dirimat, consummato tamen matrimonio, altero inuito nec perfectè vouere, nec religionis votum emittere licet, post matrimonium verò ratum tantum & vouere & religionem intrare, etiam inuito altero coniuge licet.

36. Matrimonia clandestina etsi aliquando valuerunt, rectè tamen Concilium Tridentinum grauibus causis adductum statuit, vt in posterum ea tantùm matrimonia rata firmáq; essent & haberentur, quæ proprio Parocho, vel de eius licentia alio sacerdote & certis testibus præsentib. per mutuum consensum de præsenti contraherentur.

37. Potuit etiam iure optimo Ecclesia, impedimenta aliqua noua matrimoniũ dissoluentia statuere, vel aliqua antiqua tollere.

lere. Multa autẽ ſunt genera perſonarum, quæ iure Canonico ad matrimonia contrahenda ſunt ineptæ.

38. Obiectum iuſtitiæ, quæ eſt conſtans & perpetua voluntas, vnicuique quod ſuum eſt tribuendi, eſt ius in naturale & poſitiuũ diuiſum. Subiectum verò voluntas, ſpecies commutatiua & diſtributiua, actus reddere vnicuique ſuum; eſtq; duplex legalis & particularis.

39. Reſtitutio actûs, eſt iuſtitiæ commutatiuæ ad ſalutem neceſſaria, tam iniuſtè quam iuſtè in aliquibus caſibus acceptis, vt in iis quæ inueniuntur, vel bona fide à fure emuntur. In tãtùm autem neceſſaria eſt, vt nullus niſi animũ reſtituendi habeat viâ ordinaria ſalutem conſequi queat.

40. Hoc autem non ita generatim accipiendum eſt, quaſi in nullo caſu excludatur obligatio; conſtat enim ſi debitor parentesq; eius & filij in extrema neceſsitate conſtituti ſint (non obſtante quòd eadem neceſsitas creditorem & ſuos premat) debitorem durante illa neceſsitate non obligari in foro Conſcientiæ ad reſtituendũ, tenebitur tamen pòſt vbi ad pinguiorẽ fortunã peruenerit creditori ſuo ſatisfacere.

41. Adultera nō obligatur prodere ſuam turpitudinem, vt hæreditas ad veros hæredes perueniat, erit tamē ſuarum partium, ſpuriū perſuaſionibus inducere, vt in monaſterium ſe conferat, vel ad ſacerdotium renūciando hęreditati promoueatur; imò neceſſarium etiam erit, ſi ſperetur vtilitas, filio ortum inhoneſtum ſignificare, cùm nullum mater apud filium patiatur famæ detrimentum.

42. Dominium ſi latę ſumatur, idem eſt quod ius, comprehenditq; ius paternum regium & vxorium, propriè tamen ſumptum nihil aliud eſt, quàm facultas propria in aliquam rem, quam vſurpare quis poteſt gratiâ ſui, quocunque vſu lege permiſſo vel ſic eſt ius perfectè de re diſponēdi niſi lege ꝓhibeatur ſaluo iure alterius. Ex quibus fit manifeſtum, Dominium ab vſu, vſufructu, Emphiteoſi, poſſeſsione omnino diſtingui.

43. Multis modis acquiruntur dominia rerum, donationibus, præſcriptionibus, venditionibus, emptionibus, legibus, & aliis viis, ſed quæ per vim & metum externum in virum conſtantem cadentem, extorquentur, reſtitui debent (donationes enim

enim & contractus tales non valent) sed quæ precibus & blanditiis obtinentur restitutioni non sunt obnoxia.

44. Fundamentum Dominij non est fides aut gratia iustificans, vt nonnulli Hæreticorum somniârunt. Vnde & infideles & peccatores Dominium habere, necessariò concedendum est.

45. Titulo præscriptionis, non solùm in fore ciuili, sed etiam conscientię, dominia rerum transferuntur, ad præscribendum autem necessariò requiritur bona fides, conuenienter etiam statutum est, vt plus temporis ad præscriptionem bonorũ Ecclesiasticorum quàm temporalium, & immobilium quàm mobilium requiratur.

46. Negotiatio cùm sit Reipublicæ maximè necessaria, intrinsecè & ex natura sua mala & illicita non est; potest tamẽ aliunde vitiari ex obiecto, fine, circumstantia personarum, temporis & loci.

47. Quamuis per se rem pluris quàm valeat vendere peccatum sit, ex accidenti tamẽ, honesta potest esse talis vẽditio; primò quando res est meliorata, secũdò quando prætium est mutatum, vel ratione loci vel ratione temporis, tertiò ob periculum &

expenſas, ſic ob penuriam merciũ & mercatorum frequentiam,& ſic de aliis.

48. Qui vendit citra dimidium iuſti prætij peccat & tenetur reſtituere in foro Cõſcientiæ, qui verò vendit vltra dimidium iuſti prætij punitur etiã in foro externo. Tenetur etiam vẽditor vitium rei indicare ſi ſit occultum & cedat in damnum emptoris, quòd ſi ſecus fiat, contractus nihilominus firmus permanebit.

49. Quamuis D. Thomæ Aquinati placeat, vẽditorem ſcientem breuì magnam copiam mercium aduectum iri, non eſſe obligatum ad hoc ſignificandum; contrariam tamen ſententiam, tanquam probabiliorem, defendimus.

50. Reſpub. fures & alios publicæ tranquillitatis perturbatores occidendo non peccat contra quintum Præceptum. Licet etiam vnicuiq; priuato vim vi repellere ac pro defenſione vitæ & aliorum bonorum cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidere.

51. Culpâ non carent, qui cùm commodè fugere potuiſſent impetum exceperunt, ac ſeſe defendẽdo inuaſorem occiderunt, & hoc maximè de perſonis Eccleſiaſticis intelli-

intelligendum eſt, de militibus autem & aliis perſonis ſæcularibus, quibus fugere turpe & ignominioſum videtur fortè alia ratio eſt.

52. Reſpublica quamuis poſsit ciues ſuos certiſsimo vitæ periculo pro patriæ incolumitate exponere, innocentem tamẽ pro ſalute patriæ occidere, aut Tyranno exitiũ toti Reipublicæ minitanti, niſi talis tradatur, tradere non poteſt.

53. Cùm homo propriæ vitæ, & ſuorum membrorũ Dominus non ſit, nec ſeipſum occidere, aut membrum aliquod niſi per accidens ad conſeruationem totius corporis abſcindere non poteſt: Sampſon tamen ob columnæ euerſionem, ex qua ſua & multorũ ruina conſecuta eſt, nõ peccauit, cùm illud diuina inſpiratione fecerit.

54. Maritus vxorem in adulterio, in facto flagranti depræhenſam, occidere quidem impunè poteſt, quantùm ad leges ciuiles attinet, à peccato tamẽ in foro Conſcientiæ non excuſatur.

55. Tàm nocenti quàm innocenti fugere & carceres effringere licet, etiamſi cuſtodes carceris vitę periculum ob fugam ſint adituri; dummodò vis illis non inferatur;

nullus porrò damnatus ad morté aut venenum haurire aut fame perire, si habeat quod commedat potest.

56. Sicut Iudex probatum innocentem, quem scit esse nocẽtem condemnare non potest, sic probatum nocentem quem nouit esse innocentem absoluere & liberare non debet.

57. DEVS hominem liberum condidit, eiusq; tanta est libertas, vt si voluntati duo obiecta æqualia afferri possit alterum prçeligere, quinimò & reiecto meliori adhærere deteriori, impossibile autem est, voluntatem quę efficaciter finem appetat repudiare medium, quod cognoscitur esse simpliciter ad talem finem necessarium.

58. Cum verò in malum sub ratione mali ferri non possit, adeò tamen libera est, vt in actibus, quos elicitos vocant cogi per vllam potestatem nõ valeat. Solùm autem in eius actu interiori formaliter est moralis bonitas & malitia, in exteriori non nisi extrinsecè & denominatiuè.

59. Moralis bonitas ex obiecto, fine & circumstantiis rationi cõgruentibus pendet, ex iisdem à ratione dissidentibus malitia desumitur. Est autẽ in vniuersum malitia

priuatio

priuatio quædam perfectionis quæ inesse debebat, quæ sicut non habet causam per se, sic habet multas causas per accidẽs, inter quas prima omnium est, rem ex nihilo esse conditam, proxima verò & immediata creaturam esse mutabilem.

60. Peccatum omne cõtra rectitudinem est & cum studiosis actionibus pugnans, nihil autem vetat, quò minùs peccatum omissionis sine vllo actu antecedente, & concomitante esse possit, peccatum verò originale cuius labe vniuersum hominum genus infectum credimus, nõ personæ sed naturæ totius peccatum est.

61. Ea porrò peccati vis fuit, vt hominem ab excelso innocentiæ gradu deiecerit, ac omnibus diuinæ gratiæ ornamentis exuerit, vnde tantam infirmitatem natura contraxit, vt licet bonum aliquod & velle & facere adhuc valeat, solo concursu Dei generali, sine speciali tamen auxilio nec Deum super omnia diligere, nec vllum Deo gratum obsequium, quod ad vitam æternam valeat, præstare possit.

62. Gratię prętereа dispositio propinqua absq; speciali auxilio Dei haberi nequit. Vt autem paruuli sine propria volũtatis operatione iustificantur, sic adulti proprio li-

beri arbitrij motu nō accedente iuſtificari non poſſunt. Iuſtificati autem per opera ex gratia facta & Chriſti meritis innixa, cùm vitam æternam, tū diuinæ gratiæ augmentum de condigno merentur.

63. Quamuis quilibet fidelis moraliter ſcire poſsit, ſitne amicus Dei vel inimicus, quæ moralis cognitio ad pacandam conſcientiā vniuſcuiuſq; eſt ſufficiens: nemo tamen certitudinem ſcientificam aut fidei diuinæ habere poteſt extra particularem reuelationē, quòd ſit in gratia. Deus enim Opt. Max. cum ſit ſummè bonus, nec per ſe aut per alium mentiri, decipere aut homines ad malum impellere poteſt.

64. Pontificiæ leges Chriſtianos ſub peccato mortifero ad ſuî cuſtodiam obſtringunt, nulla autē lex obligat niſi priùs promulgetur, leges etiam pęnales ante latam ſententiam non obligant.

65. Ratione mutui aliquid accipere & legi naturali & diuinæ omninò repugnat.

Controuerſia hæc de bonorum Operum & Sacramentorum neceßitate vna cum adiunctis exercitationibus literarijs, vtilis eſt, & typis excudi poterit.

Gregorius de Valentia Doctor Theologus & in Academia Ingolſtadienſi Profeſſor, ac facultatis Theologicæ pro tempore Decanus.

IN OBITVM CAROLI FRIDERICI, CLIVENSIS Principis, Romæ defunċti, carmen.

Narratio obitûs.



ERGEMINVS Princeps Carolus dũ limina Diũum
Dũ veteris Latij populos vrbesq́ ſuperbas
Auguſtumq́ Patrem Romæ ſua ſceptra tenentem
Luſtrare aggreditur, inopinæ vulnere mortis
Concidit, heu patriæ ſpes & lux vna parentum.
Ergo ne pro dulci hoſpitio lætisq́ triumphis
Paſtori ſummo, Princeps clariſsime, amaras
Heu lachrymas gemitusq́ et funera mœſta repẽdis?

Admirantur ſpectatores funeris celebritatem.

QVisquis ades, q̃ funeris hæc ſpectacula cernis
Pōpa quid iſta notet quæres, quid triſte ſepulchrũ,
Turba quid atra? inſignia picta quid vltra
Portentat color iſte niger tituliq́ ſuperbi?
Perlege quos dedimus verſus & ſingula noſces.
Carolus en Princeps rerum quem fama celebris
Cliuiacæque domus ſplendor ſuper aſtra locârant,
Finibus anguſti tumuli concluſus opaci,
Hîc iacet heu præcibꝰ fruſtrà repetitus ab vmbris.
Aſt alij mœſti quos conſpicis ordine longo
Immanem caſum lugent & funera dira.

ALIVD

ALIVD.

ERGONE tam subitò rumpis solatia patris?
Tam celeri rapitur morte paternus amor?
Carole sollicitum credo hoc timuisse parentem
Quod foret amplexus summus & ille suus.
Heu te cũ lachrymans celebrẽ transmisit ad vrbem
Quam pater Augustus religione regit.
Nimirùm præsaga mali mens sæpe futuri
Assolet heu quantos corde ciere metus?

ALIVD.

Roma luget acerbum casum.

DVM quondam mundi totius sceptra tenebam
Atq; caput fulgens totius orbis eram,
Cliuenses timui semper, fortesq; Sycambros,
Maxima qui crebrò damna dedêre mihi.
Ah quoties volui crudelem excindere gentem
Ah quoties ferro prælia dira tuli?
Si vici, nunquam magna sine cæde meorum
Constitit, & magno pugna cruore mihi;
Mirum quos olim potui non vincere victrix,
Funere nunc vinco, proh dolor, ipsa meo.

Triumphus Christi redemptoris.

QVALIS Christiadum consurgit gloria gẽti,
Quantus Io rutilus fulget fragor axe micãti?
Quàm meritò lætas mortalia pectora voces
Mixtaq; cum tremulis diffundunt carmina verbis?

Splendi-

Splendidus æquoreo surgens de gurgite Phœbus
Gratius Eoo lumen fert axe per orbem:
Sic etiam sæuæ post tristia funera mortis
Clara crucis redeunt victricis stemmata Christi.
Viderat vt Dæmon victum pulsumq́; tonantis
Imperio Adamum cæpit fera bella mouere,
Cedebantq́; homines iaculis fàretrisq́; Tyranni
Vt timidi fortes horrent sæuosq́ue gigantes:
Ast dux æthereus tantis se posse periclis,
Extorquere viros, nostros descendit in artus;
Ac velut Isacidus strauit fuditq́ue Goliam
Ingentem validis gestantem viribus hastam,
Sublimesq́; fero superantem vertice montes
Magnanimus Christus stigium sic deiicit hostem
Horrendo vastum replentem crimine mundum,
Ac animos hominum turpantem sordibus ægros.
Dissimilis tamen ista fuit non æqua relucta,
Ille ferit mactatq́; virum de stirpe gigantum
Nobile conseruans corpus sine vulnere læsum;
Hic moriens hosti mortem, populoq́; salutem
Attulit, & victor gradiens super astra triumphũ
Gestat honoratis spoliis gemmisq́; micantem
Ciuis vt hostiles inuadens ense phalanges
Captiuis patriis asperrima vincula soluit,
Et Gallos vrbem cingentes Marte Camillus
Pellit, vt optatam Romanis ferre quietem
Possit, & his subitis patriam seruare periclis:
Sic ciuis, Dominusq́; simul stellantis Olympi

Infima

Infima descendens loca, patres extrahit orco
Munera supremi sperantes fulgida Regis
Poscentesq́; ducem, surgens qui victor ad auras
Extraheret lucis cupidos de carcere cæco.
Ecce virum de mente satum rectoris Olympi
Virtute insignem dulci sermone modestum
Aspicimus, mundo cupientem ferre salutem,
Dæmonis extirpans scelerati castra nefanda,
Mira facit gentis peragrans confinia Iudæ
Signa, stupentq́; viri, non antea signa videntes
Talia facta, ducem quem maxima turba sequũtur.
Hostis at impatiens dominorum pectora Iudæ
Commouet, in Regẽ nostrũ, Dominumq́; Deumq́;:
Ast Princeps noster validis expertus in armis
Prosequitur, primam pugnam superando secundam
Dissimiliq́; omnes inuictus marte subegit:
Non secus ac populum conclusit Horatius vno
Tres superando die seruata lege Palæstræ.
Desine Cæsareos Vates iactare triumphos;
Desine Torquatum victorem extollere metris;
Mitte triumphales currus laudare camænis;
Incipe diuinos diuini Regis honores:
Incipe victorem victricia signa gerentem:
Incipe cœlestes Musis ornare triumphos.

FINIS.